



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENDO RELICTIS.

Ab. 44.



4
Quod DEUS Ter Opt. Max. Felix Faustumque
esse Jubeat!

CONSENSU & AUTORITATE
MAGN. JCTOR. ORDIN. IN HAC ALMA VIADRINA,
SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILISS. CONSULTISS. & EXCELLENTISS.

Dn. SAMUELIS STRYKII, J. U. D.

Professoris Novellar. Publici

EXERCITIUM JURIDICUM

De

CARCERE AD

CUSTODIAM,

Publico placidoq; Eruditorum Examine excutiendum
submittit.

GODOFREDUS FELO, Svetens. Marchic.

IN AUDITORIO JCTORUM.

Ad diem XIV. Martii Anno M. DC. LXVII.



Francof ad Od.

Typis Friderici Eichorni.



JEHOVA JUVVA!

Caput Primum

DE

CARCERE IN GENERE.

SUMMARI A.

- | | |
|--|--|
| 1. <i>Introductio.</i> | 10. <i>Carcer perpetuus quid, & an Jure Civili licitus?</i> |
| 2. <i>Carceris Etymologia.</i> | 11. <i>Jure Pontificio in usu est hic Carcer.</i> |
| 3. <i>Ejusdem Homonymia.</i> | 12. <i>Quid Jure Consuetudinario obtineat?</i> |
| 4. <i>Quid sit Carcer publicus?</i> | 13. <i>Quomodo Carcer hic perpetuus debeat esse conditionatus?</i> |
| 5. <i>Quid privatus?</i> | 14. <i>Quid sit Carcer temporalis pœna.</i> |
| 6. <i>Carceres privati regulariter prohibiti, & quare?</i> | 15. <i>Quid sit Carcer Custodia.</i> |
| 7. <i>Quid ad privati Carceris Crimen requiratur.</i> | 16. <i>Carceris Synonymia.</i> |
| 8. <i>Pœna Criminis privati carceris moderna.</i> | |
| 9. <i>Casus ubi privatus Carcer permissus.</i> | |



Quantum interfit Reipublicæ s.l.

Sententias Judicum propter autoritatem rerum Judicatarum executioni mandari, si serio & impensè consideretur, facile perspici potest. Quod & potissimum ex priscorum Legislatoꝝ Sancitis observare possumus, utpote ex *L. Servo invito 65. §. cum prator 2. ff. ad SCt. Trebell. L. Si Prator 75. ff. de Judic. & similibus.*

A

Hanc



Hanc ob rationem etiam Custodias Reorum esse intro-
ductas, nullus dubitabit, quippe nimirum quantum hæ ad
Sententiarum Executionem proficiant, commonstrat
in Juris Criminalis materiâ, captura frequentissima. In-
super novimus, & palam est, Capturas seu Carceres pro-
priâ naturâ ad Custodiam tantummodo esse inventas:
ut, dum in suspensio est animus Judicantium, interim REI
delati sub tutâ Custodia detineantur *L. aut damnum §. so-
lent ff. de Pæn. L. incredibile C. eod. L. 1. C. de Cust. Reor. Pe-
trus Gregor. Tholos. l. 31. Syntag. Jur. Univ. c. 33. n. 3. Gail. l. 1.
Obs. 26. n. 7. Magnif. Brunn. Rep. Parat. Matth. Wes. de Cu-
stod. & exb. Reor. quest. 5. Idem ad L. 1. C. de Custod. Reor.*
At, si ullis in actionibus vitæ nostræ tam publicis quàm
privatis Judicium & delectus rerum, personarum, loco-
rum & temporum necessarius est, sanè hoc in casu ubi
Carcer decernendus valdè requiritur. Hoc si attendere-
tur, non tam sæpissimè videremus Judices & Officiales
terminos Juris & æqui egredi in decernendis capturis, si-
quidem Judex semper Officium suum considerare debet,
quod imprimis in eo consistit, ut scilicet sua Sententia Jus
suum cuique tribuat, lædat neminem sciatque se ad libe-
randum procliviorum esse debere, quàm ad ligandum.
L. Arrianus ff. de O. & A. Cùm itaque usus Carcerum
hodiè frequentissimus occurrat: in præsentiarum non-
nihil de Carcere ad Custodiam constituto acturus sum.
Sed id quidem non ideò faciendum animum induxi
meum, ut, quod aliis detraho mihi vendicarem, sed ut ea
quæ de hac utili materia sparsim inveni ac legi in hoc E-
xercitio colligerem. Quod si effecero non minimum ex
hisce conatibus laboris fructum me percepisse existimabo.
Id quod superest, obnixè rogo ut B. L. lapsus quos repe-
riet Juventuti meæ teneriori discendique studio flagran-
ti, adscribat, non enim à me ullus quod viribus meis
impar, unquam postulabit. Rem ipsam nunc aggrediar
Ne

Ne vero in frontispicio hujus Instituti mei impingere videar, ideoque in Carceris definitionem tam Nominalem quam Realem, antequam ad alia capita progrediar, prius inquirere animus est. Omnis enim, inquit, *Tullius Lib. 1. Off.* qui de aliquo suscipitur Sermo, debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit, de quo loquatur. Hoc vero ut eo optatius procedat ante omnia, Etymologiam seu Originem Vocabuli Carceris paucis percurram præsertim cum constet hoc non parum ad institutum nostrum esse facturum. Originem verò Carceris quidam ut *Varro lib. 4. de Lingv. Lat.* à Coërcendo, ducunt, quòd inclusi coërceantur & exire prohibeantur: *P. G. Tholos. lib. 31. Syntag. J. Uuiv. c. 33. n. 1.* alii alludentes magis ad hoc Vocabulum tradunt quòd Carcer dicatur quasi carens claritate vel à claritate seclusus, quia eo in loco est magna cæcitas & obscuritas. Alii aliter interpretantur secundum varias diversorum opiniones. Quamvis verò Autores ita diversimodè circa hujus vocis originem sentiant: nobis tamen perinde erit quamcunque accipiamus. Quare ulteriori studio inquirendi circa Etymologiam vocabuli hujus supersedere volumus, præsertim cum constet vana vocabula curanda non esse quando de sensu constat. *text. in L. 2. §. 1. vers. Sed ut subtilitati C. de Constit. pec. L. cum de Lanionis 18. vers. asinam ff. de Instr. l. instrum. leg.*

Misà jam Etymologia accedimus ad Æquivocationis, quæ in vocabulo Carceris latet, explicationem. Deprehendimus autem quod Carcer sit multiplex. Primò Carcer alius est publicus, alius privatus.

Ille est locus publicus ubi vel jussu Judicis vel Magistratus REI seu delinquentes custodiuntur *L. aut damnatum 8. §. solent. 9. ff. de Pæn.*

Hic vero est & dicitur si privatus nullam habens jurisdi-

risdictionem, Criminosum aliquem in privatis detineat
carceribus vel ei compedes aut vincula injiciat. *Magnif.
Brunn. ad L. un. C. de privat. Carc. Struv. Syntag. Jur. Civ.
Ex. 49. th. 15.*

6. Novimus autem & satis constat Carceres hosce pri-
vatos regulariter esse prohibitos, adeò ut ejusmodi, tales
privatos Carceres exercens tanquam violator Criminis
læsæ Majestatis ultimo supplicio afficiendus esse dicatur
in *L. un. C. de privat. Carc.* hoc enim casu Merum sibi usur-
pat Imperium, usurpatæ autem Jurisdictionis Crimen,
Læsæ Majestatis est. *Famig, Jct. Brunn. all. l.* insuper &
contra hos Carceres maximus favor libertatis militat
arg. L. 2. de liber. hom. exhib. Imò procedit hæc poena etsi
extra Carceres aliquis in vinculis vel compedibus alte-
rum detineat, ut libera recedendi facultas ei non sit. *L. 9.
ff. Ex quibus caus. Maj. &c. Farin. l. 1. Tit. 4. quest. 27. n. 11.
Ampliss. Br. d. l.* Et Magistratus qui tale Crimen permittit,
vel non decenti severitate coërcet eidem sub jacet poenæ
d. L. un. Farin. quest. Crim. 2. n. 9. & seqq. Excell. Brunn. cit. l.
7. Sed hic etiam hanc quæstionem decidere possumus,
Num ad hoc ut quis privati Carceris Crimen incurrat so-
la sufficiat inclusio, an v. detentio ultra 20. horas requi-
ratur? Nos ad hanc propositam quæstionem rectius di-
stinctione quadam respondere putamus, distinguendo
scil. An Captura privata processerit ex præcedente causa
jure probatâ, an v. penitus illicita fuerit: Priori casu o-
mnino requiritur lapsus viginti horarum, idq; probatur
L. 25. pr. de Adult. ubi detentio illa privata quæ ex justâ &
Legibus probatâ causâ processit, dicitur sine fraude exer-
ceri, modo non duret ultra 20. horas, de quo etiam casu
intelligendus *Farin. l. 1. T. 4. quest. 27. n. 21.* Sed diutius
ultra 20. horas etiam hoc casu detinens nec Magistratui
hominem custodiendum tradens æque privati Carceris
Crimi-

Crimini fit ob noxius, Leges n. intra tempus retentionem tantum indulgentes post illud elapsum revocare videntur. *L. 22. de LL. Posteriori a. modo*, momentanea tantum detentio sufficiet, maximè sicò animò incluserit ut diutius captum detineat l. ei metu quid extorqueat *L. un. C. de privat. Carc.* quæ Lex indistinctè sine ullâ temporis finitione loquitur. *Hæn. Illustr. Controv. Disp. ult. th. 2. L. D.*

Quamvis a. in *d. L. unica C. de privatis Carc.* hujus 8. delicti REIS ultimum supplicium constitutum: quia tamen pœna hæc aliquantò acerbior ætati nostræ visa, quàm admissi delicti gravitas deposcit, pœna mortis ex consuetudine hodierna non imponitur, sed alia lenior quæ Judicis arbitrio relinquitur, uti ex *Claro §. f. Quest. 68. & aliis notat Farin. l. 1. Tit. 4. quest. 27. n. 35. Magnif. Brunn. in f. d. L. unic. Struv. Sijntag. Jur. Civil. Ex. 46. th. 15. Carpz. prax. Crim. pe. 1. quest. 41. num. 129.*

Diximus a. antea regulariter Cerceres esse privatos 9. prohibitos, hinc colligere possumus, dari casus exceptos quibus carceres privati permitti, horum nonnullos & quidem paucos jam hic adducere lubet. *Primò* itaq; cuilibet privato permittitur alterum detinere & capere, quem in flagranti quodam Crimine deprehenderit. *Celeberr. Jct. Brunn. in L. ult. C. de Exhib. & transm. R. Gail. l. 1. Obs. 54. n. 3.* *Secundò* permittit & Jus Marito domi suæ veluti Carcere retinere adulterum cum Uxore deprehensum, per viginti horas diurnas nocturnasq; testandæ & probandæ ejus rei causa *L. 23. ff. ad L. Jul. de Adult. Const. Crim. Car. V. art. 144. Petr. Grag. Thol. l. 31. Sijntag. J. U. c. 33. n. 2.* *Tertio* permittum est Domino furem fugientem persequi, capere & Judici deinde exhibere *L. 56. §. 1. ff. de furt. Farin. l. 1. Tit. 4. quest. 27. n. 11. & 23.* *Quartò* Cre-

ditori licitum est Debitorem fugientem aut de fugâ su-
 spectumprehendere *arg. L. 10. §. 16. quæ in fraud. Cred. L.*
54. C. de Decur. modò, quàm primum fieri potest, Credi-
 tor publicis Carceribus l. Officialibus ejus loci eum red-
 di curet, sin v. eo in loco ubi Debitor captus nulli Offici-
 ales reperiantur, tunc iis qui in proximo loco aliquo, Ju-
 risdictionem habent, reddendus. *Anton. Fab. in. C. l. 9.*
Tit. 5. def. 1. n. 4. Carpz. pe. 4. Const. 1. def. 17. Ultimo
 concessum est Consanguineis Furiosum includere aut vin-
 culis continere. *L. congruit bono 13. §. 1. ff. de Off. Presidis*
Boer. Decis. 275. n. 3. Carpz. d. l. n. 5. Sicuti etiam Paren-
 tibus & Dominis licet suos liberos & Servos contumaces
 domi detinere, in vincula conjicere & castigare. *L. un. C.*
de emend. propinq. tot. tit. C. de Emend. Serv. L. 6. §. 3. ad
Sct. Syll. L. ult. C. an Servus pro suo fact. L. 2. C. de Serv.
fug. l. 3. §. 1. & 2. ff. de lib. hom. exhib. L. 1. & 2. C. de Pa-
triapotestate. Jctus Brunn. ad l. un. C. de priv. Carcer. Farin.
l. 1. Tit. 4. quest. 27. n. 25. & 15. Carpz. d. l. n. 4. Conf. Struv.
Sijntag. Jur. Civ. Ex. 49. th. 15.

10 Deinde invenimus etiam quod Carcer Publicus ali-
 us sit per petuus, alius v. temporalis. Perpetuus est ille ubi
 quis ad poenam perpetuam vinculorum damnatur *vid. L.*
6. C. de Pæn. Jure a. Civili hæc poena perpetui Carceris
planè est ineognita & illicita, nec nisi in Servos recepta. L.
8. §. non solent ff. de Pæn. L. 10. ff. eod. L. 6. & l. 10. C. de
Pæn. Nam quoad Servum non multum gravis poena
 hæc videtur, postquam jam Servituti est addictus. Poena
 n. ejusmodi Carceris verè assimilatur per petuæ Servituti,
 quæ homini libero imponi nequit. *L. Titio Centum §. 2.*
de Cond. & Demonstr. L. 2. de L. hom. Exhib. Menoch. l. 1. A. 7.
Q. quest. 89. n. 4. Zoef. Comment. ad Lib. 48. Tit. 3. ff. n. 8.
 Imò æqui paratur morti ultimoq; supplicio *Magnif. Brunn.*
ad L. 6. C. de Pæn. Carpz. per. 4. Const. 9. def. 6. n. 7. 8. Jure

Jure vero Pontificio perpetuus Carcer ob scelera in 11.
Ecclesiastici fori homines, est concessus, quoniam cano-
nes malunt poenam perpetui Carceris indicere quam
vitâ privare *c. quamvis 3. de Pœn. in 6to c. 27. §. f. de V. S.* Et
ideò Reum includunt ut poenitentiam agat, pane doloris
& aquâ angustia illum sustentant ut commissa delicta de-
flect, & deflecta nunquam committat. *P. G. Tholos. l. 31. Syn-
tag. jur. Univ. c. 33. n. 24.*

Jure v. Contvetudinario & hæc poena videtur rece- 12.
pra *arg. Art. 101. Constit. crim.* solentq; in aliquibus locis
hoc Carcere delicta nonnulla vindicari. *Amplissimus Jc-
tus Brunn. ad L. 6. c. d. t.* Non facile tamen quis ad Car-
cerem perpetuum solet damnari sed ubi alia poena impo-
ni potest, illa est imponenda, nec conceditur & dicitur
nisi atrox sit delictum pro quo etiam poena mortis impo-
ni possit. *Menoch. l. 1. A. J. Q. quest. 89. n. 9.*

Quando a. perpetuo hoc Carcere Vitæ delinquen- 13.
tis parcitur, tunc iste Carcer non ita horridus esse debet,
ut intra paucos dies velaëris defectu, vel pedore s. cœno
interire inclusus cogatur. *P. G. Tholos. l. 31. Synt. Jur. Un.
c. 33. n. ult.* Nam ab horribilibus Carceribus Judex se ab-
stinere debet. *L. 1. c. de Cust. Reor. Art. 11. Const. Crim.* quâ
in parte saepe graviter delinquant avari, barbari ac omnis
humanitatis obliti Judices, qui fortè digni poena talionis,
trahit *Celeberr. Jctus Brunnem. in d. L. 1.* An v. Judex suo
arbitrio hunc Carcerem indicere possit, infra monstrabi-
mus.

Missô jam Carcere perpetuo, ad temporalem per- 14
venimus. Est a. Carcer hic temporalis alius poenæ alius
Custodiæ: Carcer poenæ, alias etiam Carcer castigatio-
nis & admonitionis dictus, est, in quem ad tempus ali-
quod detrudi solent, qui temporali poena leviorum crimi-
num REI sunt, ut resipiscant. *P. G. Tholos. l. 31. Syntag. Jur.
Univ.*

Univ. c. 33. n. 19. Quamvis a. Carcer Jure Civili ad pœnas non spectet, cum potius ad continendos homines non v. ad puniendos sit inventus: dantur tamen casus ubi ad tempus pœnæ causa in vincula quis duci per mittitur *L. 1. §. ult ff. de aleat. L. Tutor. 3. §. 16. ff. de Susp. Tut. L. 26. §. 7. ff. de pœn.* Et quid receptius quam quod moribus nostris delinquentes tam ad tempus quam in perpetuum pœnæ causa possint ad Carceres damnari. *Wesenb. Vol. 2. Diss. ad ff. 37. th. 24. Hippol. de Marsiliis Pract. Crim. §. attingam. n. 30. Gail. l. 1. Obs. 26. n. 7. Dn. Doct. Stryck. in Disputat. de Visu. cap. 1. n. 14.*

15 Carcer custodiae est locus publicus quo delinquentes & debitores, tutò detineri possunt, ita comparatus ne pœnam inde sentiant detenti. *Petr. Greg. Thol. l. 31. S. J. U. c. 33. n. 6.* Requiritur autem ut locus iste custodiae sit tutus beneque munitus, & ita publica custodia suâ natura est sine vinculis. Si vero locus iste non tutus ut ita periculum effractionis & evasionis à REO confesso & convicto metuendum, omnio vincula, compedes aut ferreae manicae adhibendae. *Far. quest. Crim. l. 1. T. 4. quest. 27. n. 100. Tholos. d. s. n. 4. Carpz. pest. 3. quest. III. num. 44. seqq. Ruber. Ruland. de Commiss. P. 2. l. 4. c. 9. n. 2.* Diximus porro custodiae tantum causa & sine pœna hunc esse Carcerem: hisce distinguitur hic Carcer à Carcere pœnæ causâ constituto, simulque colligitur necessum esse ut, si detentionis causa tantum sit incarceratus, ita conditionatus Carcer sit ne ipsa custodia & detentio in pœnam convertatur & hac ratione REUS duplici afficiatur pœnâ *L. 1. C. de Cust. Reor. ibiq. celeberr. Jctus Brunnem.*

16 Nos missis reliquis Carcerum speciebus, in praesentiarum de hoc Carcere custodiae paucis acturi sumus. Restat autem adhuc Synonymia hujus Carceris explicanda, de hac autem non nimium erimus solliciti, siquidem
con-

constat illam vel nihil vel parum commodi ad Institutum nostrum allaturam. Novimus autem quod interdum vocetur Custodia tot. tit. c. d. custod. Reor. interdum mala mansio L. apud Labeonem ff. de Injur. Hæc de Capite primo.

Caput Secundum.

DE PERSONIS IN QUIBUS CAR- CER HIC AD CUSTODIAM LOCUM HABEAT.

S U M M A R I A.

1. *An Mulier possit incarcerationi.*
2. *Limitatur vulgò in Matre tutrice renunciante omni Legum auxilio.*
3. *Pœna Judicis mulierem honestam in carcerem detru- dentis.*
4. *Quid hodie obtineat cir- ca mulierem incarceration- dam.*
5. *Carcer mulieris à Carcere virorum debet esse separa- tus & quare.*
6. *An minor Carceri man- dandus.*
7. *Minor ex debito lesus ha- bet beneficium restitutionis in integrum.*
8. *Minor mercator ab alio*
9. *An ob delictum minor car- cerandus?*
10. *Quid per minorem in deli- ctis intelligamus?*
11. *Quomodo minor delin- quens puniatur?*
12. *Respondetur ad questionē in §. 9. positam.*
13. *An nobilis carceri manci- pandus, & an nobilitas mi- nuat delictum?*
14. *Doctores multa privile- gia concessa, & nobilis non virtuosus non præferendus ignobili virtuoso.*
15. *Omnis Doctor in qua- cunq; facultate gaudet do- ctorum privilegiis.*

B

15. Pri-

16. Privilegia Dd. rectè extenduntur ad eorum liberos & uxores.
17. An in Milite hic carcer obtineat?
18. An in Clerico?
19. An in hærede debitoris.
20. Quando in hærede incarcerationatio locum non habeat.
21. Delictum defuncti ad hæredes non extenditur.
22. An fidejussor tam in causa civili quam criminali pro Principali incarceretur.
23. An in Criminali Judicio possit intervenire fidejussor.

1 **O**Rdinis ratio jam efflagitat, ut hujus Carceris personas in quibus Carcer hic sibi locum vindicet, dispiciamus. Has autem à nobis non melius posse considerari putamus, quàm si illas adducamus, circa quas de hoc Carcere dubitatio quædam suboriri potest. Inter has verò personas primo loco quæritur de Muliere Anne scil. hæc incarcerari possit? Nos pro decidendâ hac quæstione distinguimus inter Mulierem honestam & inhonestam: priori casu iterum distinguimus inter Debitum & inter ejus Delictum. Propter Civile debitum vel fiscalem pecuniam debitam Mulier honesta non planè potest incarcerari, sed debet per viros defendi aut executio in ejus bona decerni *Magnif. Dn. Brunn. ad L. 3. C. de custod. Reor.*

2 Hoc tamen communiter limitare solent & non procedere dicunt, quando cunque Mater tutrix filiorum ante susceptam tutelam renunciavit omni Legum auxilio sibi competenti, tunc quippe per renunciationem istam ob pecuniam filius debitam ratione tutelæ potest personaliter capi & in carceres poni. *Bartol. in L. Si quis sub conditione n. 18. ff. de Testam. tut. & in Auth. Matri & Avien. 13. C. quando Mul. tut. off. f. p.* Quamvis autem hæc videatur esse communis opinio, verior tamen est sententia contraria quoniam specialis hujus Authenticæ, *Sed hodie C. de Off. div. Jud.* renunciatio est necessaria, si se ad corporis captu-

capturam mater tutrix obligare velit. *Christinaus Dec. 178. n. 2. Menoch. l. 1. A. J. Q. c. 88. n. 12. Covarr. l. 2. Res. c. 1. n. 3. Jctus Brunn. ad L. 1. & Auth. seqq. c. de Off. div. Jud. Sed si de Crimine hujus Mulieris agatur, nec pro hoc incarceranda, sed, datis fidejussoribus aut præstatione Juramenti de Judicii observatione, relaxanda, mulieres enim ratione custodiæ tale haben privilegium, ut in gravissimo tantum Crimine & ubi illas custodiri necessitas efflagitat, Monasterio custodiendæ tradantur, aut ab aliis mulieribus custodiantur. *Auth. Hodie Novo Jure C. de Custod. Reor. Magnif. Brunn. ad d. Auth. Marsil. præct. Crim. §. attingam. num. 63.**

Imò Judices incarcerantes mulieres pudicam & castam vitam agentes poenâ capitali puniuntur, uti patet ex *L. 1. C. de Off. div. Jud.* quæ tamen poena constituta Judici gravissima hodiè in pecuniariam mutata. *Excell. Brunn. ad d. l. 1. C. de Off. div. Jud.*

Hodiè & de consuetudine hæc omnia non attenduntur sed potest in atrocibus & gravissimis delictis etiam mulier honesta conclavibus publicis incarcerari. *Clarus §. f. quest. 28. n. 3. Farin. l. 1. Tit. 4. quest. 27. n. 52. Magnif. Brunnem. ad L. 3. C. de Cust. Reor. Carpzov. part. 3. Præct. Crim. quest. 111 n. 40. & seqq. Zæf. Comment. ad ff. L. 48. Tit. 3. n. 10. Grammat. Decis. 33. n. 12.* Nec hodiè tamen, si Crimen non adeò sit atrox & mulier honesta aut nobilis, Judex mandare potest, ut cum dedecore ea ad se deducta, statim in Carceres detrudatur, sed debet vel domum dare pro Carcere, vel sub idoneâ fidejussione relaxare.

Carcer autem iste in quo Mulier detinenda separatus esse debet à Carcere Masculorum *L. 3. C. de cust. Reor. Farin. l. 1. Tit. 4. quest. 27. n. 52. Menoch. l. 1. A. J. Q. c. 88. n. 20. Magnif. Dom. Brunn. ad L. 1. cum Auth. sequ. c. de Off. div. Jud. Idem Brunn. in Rep. Parat. Mathai Wesenb. de*

custod. & exhibit. Reorum quest. 3. Et hujus rei ratio in eo est, ne pudicitia Mulierum deprehendatur affici contumeliis. *Zæs. comm. ad Lib. 48. Tit 3. ff. n. 10. Petrus Gregor. Tholos. lib 31. Syntagm. f. ll. c. 33. n. 16.* Etiam alia ratio est in pudore sexus muliebris; non enim convenit verecundiæ muliebri admisceri cætui virorum. *Brunn. ad d. L. i. c. de Off. d. f.*

6 Hoc de Muliere, jam ad Minorem, novimus enim Minorem in multis favorabilibus cum Muliere convenire, siquidem illi propter judicii, huic vero propter sexûs infirmitatem multa in Jure nostro concessa privilegia. Quærimus itaque An Minor incarcerari possit? Pro debito quin Minor, si suspectus de fugâ existat, incarcerari possit, nullum est dubium, præsertim si ei bonorum suorum administratio concessa, & ita debitum contraxerit. Nam minor prætextu ætatis suæ non excusatur, nec se excusare potest quin de administratione aliorum bonorum rationes reddat. *Menoch. l. 2. A. f. Q. c. 209. n. 9.* multò magis itaque tenebitur de suorum bonorum administratione.

7 Non tamen hoc casu Minorem privamus Beneficio illò restitutionis in integrum, si scilicet ex debito fuerit læsus, & si læsionem suam probaverit omnino contra mutuum restituitur. Et necessum est ut & in aliis restitutionibus, ut minor restitutionem petens captionem vel aliam læsionem probet. *L. 9. §. si minor 4. ff. de Jurejur. L. 5. C. de in Integr. Rest.* Non mox enim ex eo quod minor quis est præsumitur pecuniam per lubricum ætatis amisisse vel dissipasse, sed LL quæ minori mutuum accipienti succurrunt, conditionaliter loquuntur si captus sit, si dissipavit *L. 7. §. proinde. L. 27. §. si pecun. L. 11. §. sciendum ff. de Minor. L. 2. C. de filiof. min.* Et deinde probatâ à Minore læsione Creditor petens probare tenetur, pecuniam

niam mutuam in utilitatem pupilli sive minoris esse ver-
sam *L. 1.2. C. Si adversus Cred. L. 27. §. si pecun. ff. de Minor.*
Et hoc ita receptum, partim quia pecunia credita facile
prodigitur, & contractus mutui in minore per se noxius
& perniciosus est, partim etiam in odium fœneratorum
Creditorum *Magnif. Brunn. R. Parat. Wes. de Minor. qv. 49.*
Nec distingv. An soli minori, an verò auctore curatore,
pecunia fuerit credita, nam semper creditori, probatâ à
Minore læsione, onus probandi incumbit pecuniam cre-
ditam in utilitatem pupilli vel minoris esse veram. *An-
ton Fab. in Ration. ad L. quod si minor. 24. §. restitutio ff. de
Minor. Carpz. pest. 2. Const. 11. def. 44.*

Sed occasione horum potest & illa dubia quæstio resul- 8
tans determinari. Si Minor Mercator, & merces ob creditas
alio ab Mercatore, debitum contraxerit, deinde verò ubi ob
debitum convenitur, dicat se circa merces esse deceptum,
anne hoc casu beneficium restitutionis locum habeat?
Negamus quia peritia cujuscunque artis quam minor pro-
fiteretur Restitutionem impedit circa negotia ejusdem artis
& professionis *L. professio 6. C. de Mun. patr. L. 8. §. philoso-
phus ff. de Vacat. mæ. Mauret. de Rest. in Integr. c. 223. Odd.
de Rest. in Integr. pe. 1. quest. 23. art. 7.* Accedit & hoc quod
hac ratione contrahentes publica autoritate deciperen-
tur. *Zæf. Com. ad ff. de Minor. 25. ann. n. 22.* Pro debito
itaque Minorem, si necessitas efflagitet & omnia legitimè
acta, posse custodiae mandari constat.

Jam paucis etiam contemplaturi sumus. An etiam 9
ob delictum commissum minor incarcerandus? Ratio-
nem dubitandi suppeditare potest illud, quia minor ob æta-
tem florentissimam & tenellam mitius puniri solet *L. 37.
§. 1. de Minor. L. 38. §. 4. & 7. de Ault. L. 1. §. 32. ad Sct. Syll.
L. 108. de R. J. unde si impubes & doli capax non est planè
non punitur. L. 1. de Injur. L. 12. de Sic. c. 15. quest. 1. de pæn. Ti-
raqu. de pæn. mitig. c. 7. n. 6. Gail. l. 2. Obs. 110. n. 13.* Per

Per minorem autem hoc casu, & ubi de criminibus agimus intelligimus eum qui pubertati nondum inchoatae proximus est, ejusque ætas connumerari vulgò solet ab anno 10. usque ad annum 14. completum. *Donell. ad L. 127. de V. O. n. 12. Vinc. Carot. de min. delict. exc. qua. 15. § 23.* Tutius tamen videtur hanc connumerationem Judicis arbitrio relinquere, qui ex variis circumstantiis eam æstimabit, siquidem illa certâ quadam Lege definita non est, & alius alio præcocioris est intellectus, adeoque citius doli capax. *Giph. ad § 9. Instit. de Inut. Stip. Menoch. l. 2. A. J. Q. 657. n. 44. Myns. §. pen. Instit. de Oblig. qua. ex del. nas.* In tali itaque minore siquidem culpæ ratio in illo jam apparet, non locum habet restitutio adversus delicta, ita scil. ut minor ab omni absolvatur poenâ delicti. *L. auxilium 37. ff. de Minor. 25. annis.*

II Dum autem hic de Minorum delictis agimus videndum etiam erit quomodo talis minor puniendus atque Ordinarie an verò extraordinariè? Nos rem decidendo ita statuendum putamus ubi Minoris judicium nondum perfectum nec malitia ætatem supplet semper admittorem poenam est deveniendum, imprimis autem non debet infligi poena capitis, nec corporis afflictiva. *L. 37. §. 1. de Min. L. 108. de R. J. L. 6. pr ad L. Jul. pec. L. 1. §. 32. ad Sct. Syll. L. 38. §. 6. 7. de Adult. art. 164. Const. Crim. Car. V. Jul. Clar. pract. Crim. §. f. quest. 60. n. 2. 3.* Et ratio est primò, quod licet dolosum possit esse ejus judicium, est tamen infirmius propter naturæ infirmitatem, quæ omnino excusationem meretur. Deinde hæc ætas suapte natura vitiorum est incitamentum, quare delicta potius ipsorum fragilitati adscribenda; & denique spes est emendationis vitæ in adolescentibus, qui ubi ad maturiorem ætatem pervenerint ad meliorem quoque frugem redire solent. *Vincent. Carot. de Min. delict. excus. quest. 1. § 8. Tiraquell. de*

de mitig. pæn. c. 7. n. 6. Gail. l. 2. Obs. 110. n. 33. Farin. quest. Crim. 92. n. 41

Ex hisce nun dictis facile erit ad propositam quæ- 12
stionem respondere, scilicet quod minor doli capax in de-
lictis atrocioribus & ubi periculum evasionis imminet
benè possit incarcerationi, modò curatoris defensio accedat
nec minor indefensus relinquatur *L. 4. C. de Auct. præ-
standa.* Quod tamen de Curatore hodiè non observatur,
*Farin. quest. 81. n. 370. & seqq. Menoch. l. 2. A. J. Q. cas. 286,
n. 2. & alii, quos citat. Famigr. Jctus Brunn. ad L. 4. C. d.
Auct. præst.*

Jam ad Nobilem nos conferimus & quæritur Anne 13
scilicet hic quoque carceri mandari possit? dubitari enim
de hoc potest, quia in Jure nostro nobilitatis & dignitatis
maximus favor est, præterea nobilitatis allegatio & proba-
tio maximè prodest delinquenti, ita ut in pœna corporali
imponenda mitius puniri possint & debeant nobiles quam
plebeji. *L. 4. §. 1. ff. d. Incend. ruin. L. 8. §. 8. ff. de pæn. L. 6. §. 1.
ad L. Jul. pecul. Magnif. Dn. Brunn. in Rep. Parat. Wes. de
Pæn. quest. 36. n. 12.* Ex hisce possumus & id colligere quod
Nobilis non debeat suspendi vel alias viles pœnas pati,
& hoc generali usu esse receptum testatur *Soarez. verbo
Nobilitas n. 32. Limneus L. 6. Jur. Publ. c. 4. §. 65. Dissentit
tamen Bald. & Fab. de Arena Decis. Criminal. 25.* qui opinan-
tur eos suspendendos, sed in honorem Nobilitatis pa-
tibulum altius erigendum esse. *Conf. Gutierrez. l. 4. præst.
quest. c. 15. n. 20.* Non verò omnia delicta minuit nobilitas
vel dignitas, sed augentur per nobilitatem etiam crimina
illa quæ in nobilibus majora reputantur quàm in aliis i-
gnobilibus & vilioribus personis, item ea quæ vergunt in
ipsius Nobilitatis dedecus & contumeliam *L. 14. ff. de pæn.
aut quæ peccantis dignitatem & administrationem con-
cernunt L. Presbyteri C. de Episc. & Cler.* Turpius enim in
eo pec-

eo peccamus quod peculiari fide in nos recepimus, quàm quod generali & vulgari. *L. 11. C. de Mand. Gail. Lib. 2. Obs. 110. n. 42 45.* Quod igitur Nobilem attinet dicimus illum pro debito quodam non esse incarcerandum, sed fidei potius ejus credendum *Peretz. Commentar. Codic. ad Lib. 10. Tit. 19. n. 21.* Non tamen exinde statim quoque colligere possumus Nobiles gaudere privilegio quod non conveniantur ultra id quod facere possunt. *Covarr. l. 2. Resol. c. 1. n. 4.* Ob delictum vero atrox Nobilis si de eo planè convictus, custodia mandari potest, non vero etiam in Criminalibus Carcere vulgari, in quem omnes delinquentes detinentur, incarcerandus, sed ei certus assignandus locus ubi manere debeat, uti pluribus hoc probat *Tiraquell. tract. de Nobil. c. 20. n. 28. 29.*

¹⁴ Hoc, quod jam de Nobilibus diximus optimo Jure etiam ad Doctores & alias privilegiatas personas extendi potest. Doctoribus enim scimus & novimus multa infinitaque privilegia ab Imperatoribus esse concessa propter summos eorum labores. Imò Doctor dicitur nobilis & nobilitatem præsertim ex legali Scientia consequitur secundum *Alex. Consil. 14. inf. Lib. 1.* nam Ulpianus Jctus per Imperatorem appellatur NOBILIS *L. 2. §. f. ff. de Excus. Tut.* dicitur NOBILISSIMUS *L. dicemus ff. d. tit.* Doctor nominatur amicus Imperatoris. *L. Divi fratres ff. de Jur. Patro.* Hinc constat: Quod nobilis non virtuosus non præferendus sit ignobili excellenti virtutibus & sic DOCTORI. *C. venerabilis. de Præb.* ibi per illum textum inquit Abbas: Statuta disponentia canonicos alicujus Ecclesiæ debere esse Nobiles non inferre præjudicium virtuosis Ignobilibus. Nec hoc mirum videri potest, nobilitas etenim stercus est ns. virtutis habeat concomitantiam, & qui superbit de nobiliori sanguine, de nobiliori stercore intumescit. *Hostiens. in C. tua de Osan. & Aff. col. 2.* Ast,
Nobi-

Nobilis' virtuosus præfertur' virtuoso ignobili *Bald. in L. memini. inf. C. de Advoc. divers. Jud.* qui dicit, quod data paritate in Scientia præhonoratur qui est de nobiliori sanguine.

Nobis verò adhuc illud dubium videtur resoluendum hic: An etiam Doctor in alia facultate, quàm Juridica, Professores Academiae non Doctores, vel Doctores Legum, non legentes, gaudeant privilegiis Doctorum? *Aff. L. 6. C. de profess. & med. Guido Papa Dec. 88. & 388. Wes. Cons. 49. n. 39. Natta Consil. 65. n. 1. lib. 1. Guttiretz. l. 1. quest. pract. Civil. 21. Magnif. Brunn. ad l. 6. C. de profess. & Med.*

Hoc autem privilegium Doctoribus & Professoribus concessum ad eorum liberos & Uxores non esse extendendum nonnulli opinantur, siquidem *d. L. 6.* tantum loquitur de Doctoribus & professoribus actu legentibus *Petr. Mindan. l. 1. Consult. Saxon. quest. 101. n. 13.* Nobis verò eorum sententia verior & probabilior videtur, qui hoc privilegium etiam ad Dd. Uxores & liberos extendunt, siquidem hi, eadem dignitate, iisdem privilegiis quibus pater, quamdiu in ipsius permanent potestate, gaudent: illas scil. Uxores nemo etiam à privilegiis mariti excludet, id quod multis probat *Enekelius Baro de privileg. l. 2. c. 4. n. 76. quem citat. Excell. Brunn. ad. L. 6.*

Doctores jam sequuntur Milites & videndum: Anne hi quoque carcerari possint? Sciendum verò nos loqui de illis Strenuis militibus, quos hodie Equites vocant & de Capitaneis seu Ductoribus militum, non verò de privatis & gregariis militibus, de quibus nullum est dubium, quos & quotidie ferè torqueri & carcerari videmus, licet Jure Civili indistincte illud prohibitum. Ex causa itaque æris alieni milites in carcerem duci non possunt, condemnari enim non ultra quam facere possunt, debent

debent *L. 6. & L. 18. ff. de R. Jud. Covarr. l. 2. Resol. c. 1. n. 4. Menoch. l. 1. A. J. Q. 88. n. 9. Excell. Brunn. in Rep. Parat. de Re milita. quest. 5.* Hinc etiam cogi non possunt ut bonis cedant. *Bald. in L. 1. C. qui bon. ced. poss.* Nec privilegio huic renunciari à milite potest. *L. 14. ff. Solut. matr. Pertz. Comm. ad Lib. 14. Cod. Tit. 36. num. 22.* Ob delictum etiam quodvis ejusmodi miles non est incarcerandus, ns. causæ & temporis qualitas id valdè requirat, siquidem in Criminalibus etiam hand pauca privilegia militibus concessa, quorum præcipuum illud quod quæstioni non possint subjici nec plebejorum poenis affici. *L. 8. C. de quest. Excell. Brunn. d. L.* Consuetudinem tamen, sicut & antea dictum, in gregariis militibus contrarium induxisse testatur *Carpz. prax. Crim. quest. 118. n. 74.* Et miles insignis debet mitius puniri in Criminalibus. *Clarus quest. 60. v. idem prodest.* Id quod & hodiè observatur, & retinère milites nostri temporis tale privilegium quod non facilè puniantur pro eo delicto, pro quo plebejus puniri solet. *Gloss. in L. desertorem. §. pæna ff. de Remil. Amplissimus Brunemannus alleg. loco Zæs. Comment. ad Lib. 49. Tit. 16. ff. num. 7.*

18

De Clerico breviter dicimus illum non tantùm pro atroci & gravissimo delicto sed etiam ob debitum contractum si fugæ & evasionis periculum adsit, in carceribus Episcopi custodiæ mandari posse, siquidem in his quæ ad processum pertinent etiam in foro Ecclesiastico servatur consuetudo laicorum *C. cum venisset. de Eo qui mitt. in poss.* Et Jus Canonicum non præscribit alium processum, quam est Juris Civilis *Mindan. l. 4. Consult. Saxon. quest. 44 num. 4.*

19

Jam pervenimus ad hæredes, quærimus an hæres Debitoris ob debitum ipsius debitoris conveniri possit, & si conventus de fugâ suspectus fiat, custodiæ quoque man-

mandari? Hoc affirmamus quia hæres debitoris etiam debitor est, cum ille propriè debitor sit, à quo debitum exigì potest. *L. debitor de V. S. Bald. ad L. per diversas. C. mand. Roma ad L. alia §. eleganter ff. solut. matr.* Nam ex quo debitor obligatus est in Instrumento, obligatio suorum hæredum etiam virtualiter continetur, licet id in Instrumento non exprimatur. *arg. L. Si pactum ff. de Prob. & hæres non est nova persona, sed una & eadem cum defuncto L. hæredem ff. d. R. J. succedit defuncto cum sua causa & Vitiis L. Vitiis C. de Acqu. poss.* Non autem indistinctè, hæres ob debitum defuncti conveniri & hac ratione custodiri potest; sed dantur haud pauci casus excepti, quorum duos tantummodò hic adduxisse sufficiet. Primo non procedit conventio & carceratio hæredis infra illud tempus quod ad conficiendum Inventarium de bonis defuncti hæredi est constitutum, quia infra illud tempus à Creditoribus vel legatariis conveniri nequit, etiamsi adversus defunctum sententia lata. *L. f. §. donec & §. si prefatam C. de Jure delib. Bald. ad L. ait prætor §. si quis ff. de procurat.* Etiamsi hæreditas sit locupletissima & notoriè solvendo. *Bald. d. l. post confectum inventarium convenitur quidem hæres, non tamen ultra vires hæreditatis obligatur L. scimus. ult. C. de Jure deliber.* Secundò communiter dicunt hæredem non teneri ob debitum defuncti, si sit successor ex conventionè. Quamvis autem regulariter hæreditas pacto dari non possit. *L. Stipulatio hoc modo de V. O.* Excipiuntur tamen casus quidam vel favore militum *L. licet. C. de pactis* vel in gratiam matrimonii contrahendi, vel alias ob pias causas. *Zasius & alii ad d. l. Stipulatio hoc modo §. ff. d. V. O.* & his casibus hæredem ejusmodi in debitum hæreditarium succedere non dicunt, siquidem non Jure hæreditario sed ex pacto & conventionè succedit. *Mans. in sua prax. Rubr. de Except. §.*

item quero col. 2. Sed de hoc casu & restrictione valdè dubitari potest, cum hoc concessio magna via fraudibus esset aperta, si hac ratione æris alieni onus liceret evitare. Delictum autem defuncti ad ejus hæredes & agnatos non esse extendendum luce clarius est, nec ullum nobis contradicendum puto, quia ibi esse debet poena ubi noxa est, delicta suos authores tenere debent. *L. Sancimus 22. C. de Pæn. Barb. l. 14. c. 41. 4x. 40. Jctus. Brunn. ad d. L. 22.*

20 Dubium nunc restat de Fidejussore, & quæritur an ne hic etiam pro Principali possit carcerari? Debitoris fidejussor, si causæ Carcerationis accedant quin capi & detineri possit, nullum est dubium, quod & eò extendimus ut procedat, licet ipse principalis debitor & eo tempore in Carceribus à Creditore detineatur, non enim captura seu prehensio sola, sed solutio Principalis liberat fidejussorem, sicut & pendente lite contra REUM non impeditur Executio contra fidejussorem. *L. f. C. de fidejuss. Baldus & Magnif. Brunn. ad d. L. Hering. de fidejuss. c. 27. pe. 2. num. 48.* multò magis hoc videtur affirmandum de eo, qui tanquam Principalis Obligationi subscripsit, nam hic eodem modo conveniri potest atque principalis *L. fidejussor §. 1. de Pignor. Conf. Zas. ad L. f. §. Chrysogonus n. 2. ff. d. v. o.* Potest tamen hoc casu Principalis, si non appareat esse solvendo, dimitti, ne ambò in carceribus misere propter unum debitum detineantur. Res jam expedita de tali fidejussore pro debito quodam Civili, jam etiam quær. de fidejussore pro delinquente intercedente?

21 Antequam autem ad decidendam hanc quæstionem deveniamus, prius videndum nobis erit; An etiam in Criminali Judicio possit intervenire fidejussor? Hoc ut eò clarius nobis pateat, distinctionem quandam adhibebimus: an nimirum ex delicto agatur Civiliter? Et tunc sine omni dubitatione fidejussor de judicato solvendo

do

do accipi potest? an verò actio Criminaliter intentetur?
Hoc casu subdistingendum putamus: aut poena delicti
certa est & ordinaria pecuniaria; & admittuntur fidejus-
sores aut poena delicti est capitalis seu corporis afflictiva,
extraordinaria & arbitraria, & hoc casu aut est quæstio de
fidejussore dando pro ipsa principali poena, quæ in con-
demnationem venit & ita de Judicato solvendo; & tunc
non admittitur fidejussor, præsertim si delicta sint manife-
stiora & notiora, quia nemo membrorum suorum domi-
nus *L. 13. ff. ad L. Aquil.* & per contractum ad poenam
corporalem quis se obligare nequit *Schn. Instit. de fidejuss.*
num. 11. insuper & poenæ suos debent sequi authores *L. 22.*
C. de poen. aut quæritur tantum de fidejussore qui caveat,
de Judicio sisti; & tum Magistratûs arbitrium in hoc ma-
ximè versari debet hæc tria attendens; primò confide-
randa est qualitas delicti an nimirum crimen sit atrocissi-
mum *L. 3. ff. de Custod. Reor.* deinde probatio delicti an sc.
Crimen sit notorium. *L. 5. ff. d. t.* denique qualitas per-
sonæ potissimum consideranda, an nimirum honoratior
sit persona. His circumstantiis consideratis, Judex ar-
bitrabitur facilè an Reus relaxari possit admissis fidejus-
soribus de repræsentando REO & judicio sistendo *L. 1. ff.*
de Cust. & Exh. Reor. L. 6. §. 3. C. de Appell. Excell. Brunn. Rep.
Parat. Wes. de Fidejussor. quest. 12. Struv. Syntag. Jur. Civ.
Exc. 47. th. 30. Etiam si postea delicto probato poena cor-
poralis sive sanguinis irroganda veniat. *Bacchov. ad Treutl.*
Vol. 2. disp. 28. th. 3. Lit. A. Et hoc casu fidejussor ad certam
pecuniam se obligat vel ab initio expressam vel à judice
postea determinandam, welche Er zu erlegen sich ver-
pflichten muß / da er den Beklagten nicht stelle.
Treutl. d. l. Si verò ejusmodi fidejussor dolo faciat quo-
minus sistatur REUS, tunc is etiam extra ordinem arbi-
trio Judicis puniri potest. *L. 4. ff. de Custod. & exh. Reor.*

Famigr. Jctus Brunn. in R. P. W. de Custod. & Exh. Reor. quest. 17. Struv. d. l. Ex his nunc facile quæstionem propositam decidere possumus, scil. in eo casu ubi in Criminali judicio fidejussor admittitur, potest ejusmodi fidejussor sicut alius, ob causas custodiri & ad poenam conventam damnari.

Caput Tertium.

DE

CAUSIS CARCERIS AD CUSTODIAM.

S U M M A R I A.

- | | |
|---|--|
| 1. Ut Debitor possit incarcerari
que requirantur? | cusatione possit incarcera-
ri. |
| 2. Debitor quando sit de fuga
suspectus dicendus Judici
relinquitur. | 9. Qualitas Carceris Custodia
describitur. |
| 3. Quid sit, & per quem fiat
Excusio? | 10. Minas spargens incarcera-
ratur. |
| 4. Debitor malitiose bona di-
lapidans incarceratur, nec
potest bonis cedere. | 11. Idonea cautio quam mi-
nans prestat, in quo consi-
stat. |
| 5. Misera quondam debito-
rum conditio. | 12. Judex competens dicitur
Carcerem. |
| 6. Cur beneficium Cessionis bo-
norum introductum. | 13. Limitatur in debitore su-
specto & fugitivo. |
| 7. An Cessio bonorum libere-
ret ab omni debito. | 14. Creditor propria autori-
tate debitorem suum capere
potest si Judex permittat. |
| 8. An Reus statim facta ac- | |

16. Non

16. Non semper ex Officio Judex capturam decernit. 19. In Criminalibus suo arbitratu Judex Reum incarcerat.
17. Ad instantiam rigidi Creditoris non statim incarceratur Debitor. 20. An Judex Carcerem perpetuum decernere possit.
18. Limitatur si debitor sit fugitivus. 21. An die feriato possit fieri Incarceratio.

PRIMUM hujus Capitis membrum tractat de causa hujus Carceris impulsiva, quam potissimum debitum & delictum incarcerandi constituit. Sed ut hæc omnia distinctè quoque proponantur primum dicemus de debitore qui ratione debiti ob concurrentes causas in carcerem custodia detrudi potest. Ut verò debitor ratione debiti conveniri & carcerari possit, ante omnia requiritur ut sit debitor veri debiti, nam pro quovis vero debito potest incarceration fieri. *L. 1. C. qui bon. ced. poss. c. 2. X. de pign.* Et in captura quæ fit ob Executionem omnino requiritur debitum liquidum & non incertum. Pro debito vero liquido habetur illud quod ex confessione adversarii, ex causa judicati, ex Instrumentis jam præsentibus deberi certum est, aut tamen facile probari potest *L. 2. C. de Compens. Peretz. ad. d. L. f. n. 5. 17. Struv. Syntag. Jur. Civilis Ex. 21. th. 20.* Hinc à VERO DEBITO excludimus (1) Debitum Naturale tantum vel Civile tantum arg. *L. si is S. flavus ff. de Solut. l. 1. S. 1. ff. ne vis fiat ei C. c.* sicut enim hoc efficaciter peti nequit, ita nec pro eo legitimè custodia concedi potest. (2) Nec verum debitum, sed pro non debito est quod sub conditione debetur, ex hoc enim neque obligatio neque actio nascitur, seu neque cessit neque venit dies *L. 213. de de V. S.* sed spes tantum est debitum iri. *S. sub conditione 4. Instit. d. V. Oblig. & ante conditionis eventum tale conditionale debitum solutum rectè*

Atè tanquam indebitum condicatur *L. 15. ff. d. Cond. Indeb.*
Si tamen iusta causa suspitionis subfit, & debitor propter
suam culpam suspectus esse incipiat, eo casu omninò et-
iam ejusmodi conditionalis debitor cavere cogitur *L. in
omnibus 41. ff. de Judic. L. Si Creditores ff. de priv. Cred.*
Illud autem VERUM DEBITUM quod hic requirimus non
debet esse minimæ quantitatis, pro hoc enim quis ut su-
spectus capi non potest *Baldus in Auth. Sed jam necesse C.
de Donat. ante Nupt.* qui parum transgreditur non vitu-
peratur *Bartol. in L. 47. §. altero ff. de Admin. tut.* Sed
quænam hoc casu magna vel minima quantitas sit dicenda
relinquitur arbitrio Judicis *Glossa in Authen. Præterea C.
Unde Vir & Ux. & in L. illicitus §. tenuis ff. de Off. Præs.* De-
inde etiam ad debitorem incarcerandum requiritur ut sit
fugitivus vel de fugâ suspectus, hic primùm notanda diffe-
rentia inter suspectum de fugâ & fugitivum: hic est qui in
ipsum actum fugæ vitium mentis deduxit: Ille verò sit
suspectus antequam fugere incipiat, aut cum latitare se
præparat, aut lius animus ad fugam dispositus aliàs patet
vel à Lege præsumitur. *L. fugitivus. de V. S.* Hinc constat
quisnam nobis jam debitor fugitivus dicatur, scil. qui ita
consilio capto à Creditore aufugit, ne ad illum postea re-
vertatur; sicut etiam ita Servus fugitivus describi solet
*L. 1. §. fugitivum ff. de Serv. fugit. L. quis sit fugitiv. ff. de
Ædil. Edict.* Non verò quis prius fugitivus dici potest ns.
ex animo in actum aliquem extrinsecum egressus, inde
etiam is qui se occultavit ut occasionem fugæ nactus se
subtraheret dicitur fugitivus. *L. quis sit fugitivus 17. §.
idem ait. 4. ff. de Ædilit. Edict.*

² Suspectus verò debitor ex multis variisque signis
vel indiciis dici potest, quod idè etiam potissimum Ju-
dicis arbitrio relinquendum censetur, qui omnes circum-
stantias considerans, utrum de fugâ præsumtio sit, arbitra-
bitur,

bitur, id quod etiam *Actus in L. Si fidejuss. §. f. ff. qui satisd. cogantur.* voluit. Debet etiam Judex diligenter causas suspicionum investigare, quæ animum Creditoris ad suspicandum movere, & si illas invenerit probabiles ac justas, potest capturam decernere *L. item suspectus ff. de Procur.* Præsertim vero debitor suspectus dici solet, si in loco ubi conveniri potest non possidet immobilia, vel non tot & tanta, in quæ cadat tanta affectio possessionis, quæ verisimiliter tollat fugæ suspicionem. *L. Si chorus de Leg. 3* imò fugæ suspicio interdum colligitur ex aliis indiciis, puta, quia jam capit componere sarcinulas suas, ut insimili, habetur in *L. ab hostibus §. f. ff. Ex quib. caus. ma. Auth. Omnes peregrini C. Commun. de Success.* nonnunquam & alia recelsus signa apparent, quæ omnia uti & antea dictum, tutissimè Judicis arbitrati relinquantur.

Deniq; ad Carcerationem Debitoris necessarium requisitum est ut Debitor non sit solvendo planè, aut de eo dubitetur. Ut verò hoc probè Judici constet requiritur ut excussionem decernat, quæ est bonorum atque rerum debitoris ad saccum usque & peram per judicem facta discussio *L. 1. de revoc. qua f. in fr. Jacob de Arena de Excuss. bonor. c. 1. n. 1.* Debet autem hæc Excussio fieri per Judicem, quia Judicem qui Excussionem facit, oportet cunctari mari *L. Si cui libertas §. ff. de Condit. & dem.* Deinde Excussio dicitur solenniter fieri, jam verò ea sunt solennia quæ per Judicem fiunt *L. Divus de In. Integr. Rest.* Sed Qu. Unde Judex omnia bona debitoris explorare potest cum ille multa clanculum amovere & celare possit; Resp. Judex hoc casu modum investigandi optimum habet, nam jubebit comparere debitorem, eumque compellet per Juramentum & indictionem multæ ut sua bona Judici indicet. *arg. L. Sancimus. §. Licentiam C. de Jure delib.*

D

lib.

lib. Et id idem Judex facere potest cum Uxore & aliis domesticis debitoris, qui talia scire possunt. *arg. L. Consensu §. servus C. de Repud.* Si vero nec hoc remedio aliquid invenire potest Judex, tunc putamus convocandos esse Vicinos & propinquos, qui de his testificentur, & si dixerint se nescire de bonis debitoris eumque non esse solvendo, dictum eorum & opinio sufficit

4 Medii hisce omnibus tentatis & observatis, si debitor non solvendo repertus isque malitiosè & in fraudem creditorum suas facultates & bona dilapidavit, debet carcerari, nec Jure communi habet beneficium cessionis *L. f. §. f. que infr. Cred.* sicut etiam hoc beneficium isti denegatur debitori qui spe cedendi contraxit & sciens se non esse solvendo. *Excell. Brunn. R. P. W. de Cess. bon. Quest. II. Struv. Syntag. Jur. Civil. Ex. 44. rh. 26.* Et hæc sententia vera, nec ullis laborat vitiis, hi enim sua culpa sibi tale malum attraxerunt pauperesque effecti sunt, ergò etiam pauperum beneficiis omninò sunt privandi *arg. L. pen. ff. de Jure dot. L. 18. §. 1. ff. Solutio matr. L. f. ff. de bon. que infr. Cred.* Isti etiam dolosè foro cedunt, & multorum pecuniis interceptis contra fidem quam dederunt cum multorum pernicie solum vertunt. *Thol. l. 22. Synt. J. U. c. 9. n. II. p. 71.* Accedit & hoc quod frustra legis auxilium imploret is qui in legem commisit. *L. frustra de Usur. L. non fraudulenter de R. f.* Jura etiam subveniunt deceptis non verò decipientibus. *L. 1. ad Sct. Vellej.* De tali ergo debitore qui propria culpa naufragium suorum bonorum passus, concludimus quod in carcerem publicum (*Schuldthum*) conjiciendus, ut hoc remedio malitia illorum, qui multorum bonorum Virorum beneficiis & officiis non sine magno & privatarum & publicarum rerum detrimento, abutuntur, tandem coerceatur.

5 Sed si debitor casu & fortunæ ludibrio de pauperatus

tus & ad incitas redactus reperiatur, res aliter erit deter-
minanda, & dicendum quod in hoc nequaquam aspera
illa obæeratorum debitorum conditio locum habeat. No-
tum quidem est quòd olim ubivis ferè debitores carceri
sint mancipati, si bona eorum debitis exolvendis non
sufficerent. *L. 1. C. qui bon. ced. poss.* Imò duriosem & pro-
pè inhumanam poenam obæeratis debitoribus quondam
dictitabant *LL. 12. Tabul.* quæ non tantum permittebant
Creditoribus manibus injectis in jus ducere debitores,
sed & si nondum satisfactum, domum reducere, nervo &
compedibus vincire, venum exponere, & postea tertiis
nundinis etiam ultimo supplicio afficere, vel si plures
Creditores, in partes Debitorem secare. *Dionys. Godofr.*
fragm. LL. XII. Tabb. Rosin. Antiqu. Rom. l. 8. c. 6. n. 34. A.
Gellius Noët. Att. l. 20. c. 1. Conf. Jacobus Revard. ad LL. XII.
Tab. c. 8. p. 36. Postmodum autem contra hunc nimium
rigorem nimiamque sævitiam Creditorum, fortunæ in-
juria depauperatis debitoribus prospectum est flebili illo
beneficio Cessionis bonorum, quò ab ista dura vinculo-
rum poenâ liberantur *L. 1. C. qui bon. ced. poss. Carpz. Ju-*
rispr. For. pe. 2. Const. 22. def. 11. n. 5. Barthol. ad d. L. 1. C. qui
bon. ced. poss.

Sed quid si tales debitores hoc cessionis beneficio
utuntur ane prorsus & in totum à debito liberantur? §
Nos negativè hanc quæstionem decidentem sequimur ver-
ba Imperatoris in *Nov 4. c. 3.* ubi de datione in solutum
hæc verba profert: *quæcunque meliora sunt dentur Credi-*
tori, quæ verò deteriora apud debitorem post debiti solutionem
manere sinantur. Hinc si bona cessa non sufficiant debitis
exolvendis, non in totum liberatio à debito continget,
sed in tantum, in quantum satisfactum, quoniam aliàs
maximè gravarentur Creditores dum tales res, quæ æsti-
matione sua summam debiti non adæquarent, acciperet e-

nerentur. Talis itaque debitor cedens si post cessionem factam ad pinguiorem fortunam pervenerit, iterum à Creditoribus convenitur, non quidem in solidum, sed in tantum in quantum facere potest, i.e. deductis alimentis, & ne egeat *L. 4. 6. & 7. ff. de Cession. bon. §. f. Instit. de Act. Ampliss. Dn. Doct. Brunn. Rep. Parat. Wes. de Cession. bon. quest. 14. Struv. Syntag. Jur. Civ. Exerc. 44. th. 29.* putat tamen *Brun. tr. de Cession. bon. quest. 3. princip. n. 6.* quod si debitor modo vituperabili; e.g. nates super lapidem pecutiendo; bonis cessisset, plane ab omni debito liberatus sit, etiamsi ad pinguiorem fortunam postea pervenerit.

8 Hæc de debito sufficiant, jam ad delictum. Novimus insimulatum alicujus delicti Reum non statim esse incarcerandum, sed Judex accuratè æstimabit an accusatus incarcerandus, an verò militibus vel fidejussoribus vel etiam sibi tradendus? Scitu ergò jam dignum est, An Reus statim carceri mancipandus antequam de delicto sit convictus? Hoc negamus regulariter, nam ut REUS facta accusatione statim prehendi & incarcerari possit hæc requisita concurrere debent. Primò quidem requiritur, ut de tali delicto agatur, cujus si accusatus convinceretur, ultimum supplicium vel poenam corporis afflictivam incurreret. *Clar l. 5. sent. Jur. §. f. quest. 46. Rol. d. Valle l. 1. Cons 38. n. 2. Menoch. l. 2. A. J. Q. cas 303. n. 15.* Deinde necessarium est ut accusatus validis indicis sit gravatus, crimenque atrocius *L. 3. & 5. ff. de Custod. & Exhib. Reor. L. 2. C. de Exh. Reis.* Tertium requisitum est ut Reus sit vagabundus seu vagus homo, qui nullibi certum domicilium ubi habitet figens, per mundum vagatur *Marcan. de Foro comp. c. ult. n. 57.* Talis enim vagabundus ubicunque reperitur tum accusari tum puniri delictorum ubicunque commissorum nomine, potest. *Covarr. Pract. quest.*

quest. 11. n. 7. *Clarus in Pract. §. ult. quest. 93.* Denique procedit ista captura, Si adhuc dubium, quæ poena infligenda. *Excellent. Brunn. R. Parat. ad Lib. 48. Tit. 3. quest. 1. Carpz. Prax. Crim. pe. 3. q. 111. n. 5. Struv. Synt. Jur. Civil. Ex. 49. th. 11.* Non tamen sine discrimine omnis, modo hæ Circumstantiæ concurrant, statim factâ accusatione ob delictum incarceratur, nonnulli enim militibus custodiendi traduntur vel fidejussoribus committuntur, ut viri Nobiles, Doctores & reliqui amplissimis facultatibus præditi. Judex etenim sciscitari quoque debet an Carcerandus sit persona privilegiata, quæ detineri non possit, & ideò fortiora indicia haberi debent ad carcerandam personam nobilem & insignem quam plebejam. *L. 1. 3. ff. de Cust. & Exh. Reor.*

Sed ut sciamus quomodo Carcer iste custodiæ in quem quis ob delictum conjectus, debeat esse conditio-
natus ita dicemus: Carcer qui detentionis causa tantum dicitur ita esse debet ne vel ipsa custodia & detentio in poenam convertatur, licet sæpissimè tam barbara Judicum quorundam inveniatur crudelitas, ut squalidissimis carceribus captivos excruciantes manicis fereis, compedibus aliisque vinculis ita constringant ne pedem movere nec manum possint, nulla factâ distinctione inter crimen & inter locum custodiæ. Sola namque delicti gravitas non est causa sufficiens ad injiciendos compedes, nisi confessus & convictus fuerit REUS. *Farin. pract. Crim. l. 1. Tit. quest. 27 n. 100.* etiam tunc vincula adhibenda quando locus Carceris non est tutus, ut ita periculum effractionis metuendum *Farin. d. l. n. 102. Rutg. Ruland. de Commiss. pe. 2. l. 4. c. 9. n. 2.* Summatim tota hæc res Carceris seu vinculorum, & quando carcerati dato fidejussore sint liberandi, pendet ab arbitrio Judicis. *L. 1. ff. de Custod. Reor. Menoch. l. 2. A. J. Q. c. 303. n. 2.*

10 Hic quoque ultimò referimus illum casum ubi ob-
minas sparsas carcer custodiae nonnunquam dicitari so-
let, notum enim est de minantibus qui alteri mortem vel
aliud aliquod malum minantur, quòd illi tamdiu custo-
diri soleant donec idoneam præstent cautionem de non
offendendo, præsertim si ejusmodi sit persona quæ minas
exequi solet. *Constit. Crim. Carol. V. art. 176.* Melius enim
hoc casu est occurrere in tempore quam post exitum vin-
dicare. *Magnif. Brunn. Leg. 1. C. quando lic. unicuique,
sine Jud. &c. Idem ad L. 5. C. de his qui ad Eccl. conf. Gail. l. 1.
de P. P. c. 2. n. 1.* Hæc verò cautio eò dirigenda est ut mi-
nimator non solum ipsum principalem & minitatum, sed
& ejus familiam aliosque homines offendere nolit. *Bart.
in L. illicit. 3. §. ne potentiores ff. de off. præf. Berl. pe. 4. con-
cl. 22. n. 14.*

II Diximus autem minantem idoneam cautionem
præstare debere, Sciendum ergò quamnam cautionem
hic per idoneam intelligamus? Nos putamus hoc ma-
ximè in Judicis arbitrio consistere, qui ratione minarum
& qualitate personarum minitatori cautionem injunget.
Menoch. l. 2. A. J. Quest. cas. 140. Solet tamen hoc ca-
su idoneè vel pignora vel per fidejussores caveri *L. 4. ff.
Si cui plus quam per L. falcid. &c. L. d. §. 2. ff. de Off. Præf.*
Si vero minans detentus nec per pignora nec fidejussores
cavere possit, tunc in defectu pignorum & fidejussorum
tamdiu in custodia detinendus quousq; satis sufficien-
terq; fuit cautum, præsertim si necessitas urgeat & pericu-
lum ob oculos versetur. *Bule. Annot. ad d. art. 176. Const.
Crim.* Nonnunquam tamen etiam minimator ad juratori-
am cautionem admittitur, si scil. ipse minitatus cautioni
juratoriae minitatoris fidere velit. *L. pen. C. de pactis.
Carpe. pe. 4. Const. 15. def. 8. n. 7. 8.* Vel minimator alias
sit homo bonæ famæ. *Budæus d. l.*

Nunc

Nunc ad secundum hujus capituli membrum progre- 12
diemur, quod tractat de causa hujus Carceris Efficiente.
Hanc causam considerantes primò agemus & videbimus
A quo sc. hic Carcer Custodiæ decernatur? Regulariter
autem dicendum videtur quod omnis captura decerni de-
beat à Judice competente, cujus Juris dictioni subest RE-
US. Hoc tamen non universaliter procedit sed suas quoq;
admittit limitationes.

Primum limitatur in debitore fugitivo & suspecto 13
qui etiam ab in competente Judice capi & in carcerari po-
test, & captus de incompetencia agere non potest. *Gloss.*
in L. Si super C. de fer. Petrus de Ancha Cons. 184. ab ipso
namq; Creditore ejusmodi fugitivus Debitor prehendi
& detineri potest. *L. 10. §. 16. ff. que in fr. Cred. L. 54. C.*
de Decur. Dummodo Creditor Magistratui quam pri-
mum fieri potest, hoc denunciaret & ultra viginti horas ca-
prum non detineat, alias incidit in Crimen privati Car-
ceris. *Carpz. pe. 4. Const. 1. def. 17. n. 5.*

His etiam illa quaestio adjungi potest Annon Ju- 14
dex etiam possit licentiam Creditori dare debitorem fu-
um capiendi? Aff. ita ut eum constituat execu-
torem in propria causa. *Jas. ad L. Jubeat cavere ff. de Juris-*
dict. omnium Jud. Requiritur tamen ut per Epistolam vel
alias sufficienter adversario de mandato & commissione
Judicis constare possit. *Bald. ad L. Si ut proponis C. quo-*
modo & quando judex sentent. prof. &c.

Deinde etiam limitatur in omnibus malefactoribus 15
& criminosis hominibus, quos Judex, ubicunq; modo re-
periuntur, ejus loci custodire & punire potest. *tot. tit. C.*
ubi de Criminibus Nov. 69. c. 1. Auth. qua in provincia C. U-
bi de Crimin. agi pot. Aliàs vero constat quod carcera-
tio omnino injusta dicenda quando in capiendo juris ordo
non servatus fuerit. *Joh. Emer à Rosbach. Prax. Crim. Tit. 1.*
§. 14. n. 23. Non

16 Non semper tamen iudex ex officio de cernit custodia & capturam sed sæpissimè etiam ad instantiam partis & rogatus. Sic Debitor non incarceratur nisi Creditor hoc iudice postulaverit à *L. 4. §. iudic. ff. de damn. inf.* Quia ad privatam partium utilitatem iudex non impertitur suum Officium, nisi imploratum fuerit, ne iudex hoc casu qui inter utramq; personam litigantium medius esse debet, se quodammodo partem constituat. Hinc illa captura quæ defacto iudicis processit, omnino iniusta & iniuriosa dicenda hoc casu, ac proinde est retractanda, & ipso iure nulla pronuncianda. Et hoc non impedit si postmodum Creditor quoq; adveniat & petat incarcerari hunc qui de facto est incarceratus, primitus enim declarandum erit dictam capturam fuisse nullam, & ante omnia relaxandus ejusmodi carceratus, pristinaq; libertati qua spoliatus fuit, restituendus, Initium namq; cuiusq; rei est inspiciendum *L. 1. ff. de Orig. Jur.* & quæ de novo emergunt novo indigent auxilio *L. de etate 11. ex causa 8. ff. de Interrog. in Jure fac.* Et his prius omnibus factis, demum juris ordine de novo potest ad capturam procedi *Bart. ad L. quarundam 1. §. omnia ff. d. A. R. D.*

17 Non tamen iudex etiam statim ad instantiam rigidi Creditoris Debitorem incarcerare potest, sed debitor prius in Judicium vocandus, & si tunc contumax in solvendo appareat carcer decerni potest, qui juris Ordo etiam observatur in causis pecuniariis publicis & fiscali debito, si scilicet contumax existat, & in contumacia perseveret, licet alias non incarceretur tributorum debitor. *L. nemo carcerem C. de Exact. Tribut. Menoch. l. 1. A. J. Q. quest. 88. n. 5. & 6.*

18 Quod tamen etiam non procedit in debitore fugitivo & suspecto, qui statim ad instantiam Creditoris prehendi

hendi potest, modò Creditor postulans capturam possit
Judici aliqualem fidem de debito facere vel per ostensio-
nem Instrumenti obligationis, vel per testes si fortè syn-
graphæ ad manus non sint vel denique aliquali legitima
& summaria probatione, qua Judex credere valeat verum
esse quod dicitur. *Richt. Decis. 77. n. 62. Mev. tract. de Ar-
rest. c. 4. Barbat. l. 2. Cons. 6. col. 10.*

In Criminalibus verò & ubi de crimine agitur nul- 19
lum dubium est quin Judex suo arbitrato Reum prehen-
dere & in carcerare possit, ita docuit *ex L. 1. C. de Off. di-
vers. Jud. Baldus in L. 9. §. 6. ff. ad L. Jul. pec. n. 2. vers. Si
verò queris.* præsertim si periculum ne Reus aufugiat vel
quando Reus reperitur in Crimine. *Rosbach prax. Crim.
Tit. 1. c. 14. n. 1.* quod etiam eò extenditur licet REUS in
domo suâ esset nam ex ea extrahi potest. *L. 1. C. de off. div.
Jud.* hoc enim casu dispositio *Legis plerumque ff. de in Jus
vocando* non videtur locum obtinere. Imò propter atrox
delictum aliquis Ecclesiâ, si fortè in eam fugerit, extrahi,
& ad supplicium trahi potest. *Exod. 21. v. 14. L. 2. de his qui
ad Eccl. conf.*

Diximus Judicem omnem decernere Carcerem in 20
quo vel puniendi vel detinendi delinquentes. Notan-
dum tamen hoc tantùm de carcere temporali custodia &
pœnæ procedere, non verò de Carcere perpetuo, cujus
pœnam Judex pro suo arbitrio indicere nequit, & hoc non
solum quia talis pœna de Jure nostro iudici nequit, uti in
capite primò probavimus; sed etiam quia pro pœnâ capi-
tali habetur. *Bald. in L. 6. C. de pœn. Ruin. Cons. 88. n. 1. lib. 5.*
Quod adeò extenditur à Menochio, ut non procedat, licet
Judici plenitudo arbitrii data, & quamvis perpetuus hic
Carcer tantùm ad custodiam perpetuam dictatus. *Me-
noch. L. 1. A. J. Q. quest. 89. n. 15.* Sed quia moribus no-
stris in nonnullis locis pœna perpetui carceris recepta;
E ideo

ideoque videtur dicendum & Judicem hanc pœnam posse arbitrari. Et hoc etiam ipse Menoch. innuere videtur dum dicit dictam suam Sententiam tantum in delictis atrocioribus procedere. Denique sub finem hujus capituli videbimus quando carcer hic Custodiæ dictari possit. Quærimus itaque An etiam die feriato qui in honorem DEI est introductus, possit incarceration fieri? De Civilibus & pro debito negamus *L. f. C. de Fer.* nisi timor fugæ adsit *Gloss. in d. L. f. C. de Fer.* In Criminalibus autem gravioribus quocunque die potest Incarceratio fieri. *L. 3. C. de Episcop. And.* Nam propter enormitatem Criminis & periculi multa conceduntur quæ aliàs non concederentur.

Caput Quartum.

DE EFFECTU CARCERIS AD CUSTODIAM.

S U M M A R I A.

- | | |
|--|---|
| 1 Carceratus non debet diu in carcere detineri, & quare. | 8 Principi Jus illud competit. |
| 2 Diurnitas Carceris mitigat pœnam. | 9 Longum tempus delicti commissi non minuit pœnam. |
| 3 Non omnem pœnam diuturnus Carcer mitigat. | 10 Debitor incarcerationis quando liberetur. |
| 4 Pœnam à DEO dictatam Princeps tollere nequit. | 11 An debitor se ad carcerem obligare possit. |
| 5 Quenam circa Jus aggratiandi notanda. | 12 Quantum debitor radium carceris sustinendo de debito minuat. |
| 6 Princeps alteri ex causa Jus quesitum auferre potest. | 13 Judex injustè carcerans ad quid teneatur. |
| 7 Quibus Jus aggratiandi non concessum. | 14 Quid Jure Saxonico obtineat. |
| | 15 Pri- |

- 15 Privatus injustè alterum
incarcerari jubens ad quid
ei obligetur.
- 16 Judex causa cognita carce-
ratum non debet diutius
detinere, Limitatur pri-
mò in carcere appellan-
te.
- 17 Deinde limitatur in Carce-
rato recommendato.
- 18 An ob unum delictum car-
cerato, pro alio possit recom-
mendari.
- 19 Quid ad recommendatio-
nem requiratur.
- 20 Carcer operatur justum me-
tum.
- 21 Justè carceratus contrahere
potest.
- 22 An ob capitale Crimen
carceratus possit contrahere
& de bonis suis disponere.
- 23 An extra delictum lese Ma-
jestatis Confiscatio hodiè sit
sublata.
- 24 An capitaliter damnatus
de bonis suis testari possit.
- 25 An capitaliter damnato
cognati succedant ab inte-
stato.
- 26 Ad perpetuos Carceres
damnatus habet Testamen-
ti factiorem.
- 27 Qui Carceratum alere
obligatus sit.

Nunc ad quartum caput pervenientes considerabimus
effectum hujus Carceris. Et notum est quod qui ju-
stè custodiæ & carceri traditus non debeat in eo diuturnâ
detentione macerari, sed ejus causa cursim expedienda.
L. de his 5. C. de Custod. Reor. in qua Lege rescribitur
Carceratos diuturna detentione macerandos non esse,
sed eosdem convictos subducere debere velocem poenâ.
Et *L. 18. C. de pœn.* similiter, hac ratione addita, ne senten-
tia condemnatoria in Reum confessum & convictum lata
differatur, prohibetur. Nec hoc assertum fundamentis
& rationibus destituitur. Ratio enim hujus prima hæc
esse potest: Ne Carcer, qui ad Custodiam repertus ob il-
lam diuturniorem detentionem in Cruciatum & poenam
abeat, contra *L. 8. §. 9. ff. de Pan.* Deinde & hæc accedit

ratio: Ne immodicis sumptibus in sustentandum & custo-
diendum REUM captivum erogandis Magistratus durius
gravetur, sed ab his, nec non aliis incommodis quæ præ-
terea evenire solent, liberetur. Denique nec hæc ratio
minimum assistit; Ne per illud spatium differendæ execu-
tionis condemnatis occasionem, viam & rationem quæ-
rendi & adipiscendi causa præbeatur, quâ vel fugâ ereptâ,
vel effraçto Carcere vel morte violentâ adscitâ alioque
modo poenam effugere & eludere possent, ut ita executio
Sententiæ planè irrita fiat, cum tamen nihil magis Rei-
publicæ intersit quàm fontes poenas promeritas publicè
luere *L. ita vulnerato §. quod si quis ff. ad L. Aquil.* Sed hodiè
hæc diuturna detentio est, frequētissima in quâ proh dolor
miseri illi captivi prius macerantur & marcescunt, postea
verò poenam commissi delicti in illos exequantur, cum
tamen in causis miserabilium personarum summarie sit
procedendum *Bart. L. f. C. de Custod. Reor.*

2 Hæc cum ita sint, merito diuturnæ isti detentioni
hunc effectum primò tribuemus Quod scil. mitiget
poenam postea irrogandam. Nam quamvis Custodia sit
præcipua Carceris ratio: tamen hæc custodia, quia in-
terdum diuturna est, non potest esse sine poena aliqua quæ
ingentem miseriam, pedorem & penuriam conjunctam
habet *L. 25. pr. ff. de Pæn.* Quod etiam simili quodam
exemplo declarant Imperatores Honor. & Theodos. in
L. Omnes 23. C. de Pæn. dicentes: Tempus, quo quis post
damnationem in exilium detentus in Carcere fuit, com-
putatur in minutionem poenæ exilii, & si in carcere, exi-
lio deputatum tempus omnino fuerit lapsum, REI etiam
prorsus ab eo liberantur; satis enim esse debet immen-
sum cruciatuum semel tulisse supplicia, ne ii, qui diu pri-
vati sunt, auræ communis haustu & lucis aspectu, non in-
tra breve tempus catenarum ponderibus prægravati, et-
iam

iam exilii poenam iterum sustinere compellantur. Si itaque diuturnitas vinculorum poenam mitigat exilii, nulla est causa cur non aliam etiam poenam minuat. *Excell. Doct. Brunn. ad d. l. 23. C. de Poen.*

Non omnem verò poenam diuturnitas vinculorum mitigat, sed tantum arbitrarias & quæ Judicis dispositioni relictæ, non itaque illas quas ipsum Jus divinum infligit, uti monet *Famig. Jctus Dn. Brunn. d. l.*

Constat enim poenam à DEO dictatam, nec à Summo Principe tolli posse; Aspiciamus tantum capitalem illam poenam, quæ homicidæ voluntario à DEO constituta, reperiemus sanè illam à summo Principe non posse mitigari multò minus tolli, hoc namque delictum tam severè Lege Divinâ prohibitum & hæc unica expiationis forma, qua scil. sanguis illius qui sanguinem profudit, rursus per hominem fundi jubetur, est expressa. *Num. 35.* Merito ergò Princeps ab hæc, gratiam ejusmodi homicidis faciendi, potestate se abstinere deberet, ne tanquam inferior sibi arrogare videatur Jus tollendi & mutandi superioris DEI Legem. Nisi tales circumstantiæ concurrant, quæ delinquentis relaxationem suadere possint. *C. cum inferior 16. X. de Major. & Obed. & cap. Literas tuas 13. de Restit. spoliat.*

Verum hodiè de Consuetudine aliud observatur, & absolutæ potestati tribuitur immunitatem delictorum criminosis concedere, uti Dd. communiter testantur. Circa hoc tamen primò notandum venit, quòd Principes se summoperè cavere soleant ac debeant ne in ejusmodi gratia omnibus promiscuè & sæpius concedenda proclives sint, sed rarissimè, & non nisi ex urgentissimâ publicæ utilitatis causa, ad talem misericordiam & gratiam. (quæ specialiter à DEO improbatur *Deut. 13. v. 8. Hebr. 10. v. 78.*) faciendam procedunt & moventur. Possent enim

hoc casu facile terminos suæ potestatis excedere Principes & ansam delinquendi subditis præbere, siquidem generale illud est, impunita maleficia haud esse debere. *L. 51. ff. ad L. Aquil.* idque vigor publicæ disciplinæ postulat *L. 9. §. 5. ff. de Public. Conf. de his plurib. Limnaus L. 4. J. P. c. 8. n. 277.* Dum autem princeps ad hanc gratiam Reo concedendam procedit, necessarium quoque est ut reconciliatio cum parte offensa facta præcedat, sine quâ nulla utilitas publica considerari, ideoque nec gratia in præjudicium alterius partis concessa, subsistere potest *L. f. C. Si contra Jus l. util. publ.* benè verò in præjudicium Fisci delinquens restitui potest *L. 7. & 10. ff. de Sentent. pass. & rest.* Hinc etiam si gratia à Principe facta ea, strictè est intelligenda & accipienda tantùm quoad pœnam corporalem vel pecuniariam Fisco debitam, non verò extendenda ad interesse, quod posset pars prætere, quia ita Princeps auferret alteri Jus suum quæsitum quod tamen sine evidente aliqua causa facere non solet. *Mastril. Decis. 205. Gram. Conf. Cr. 34. n. 1. Zæf. Comm. ad Lib. 48. Tit. 23. n. 3. 4. & seq.*

6 Et quod Princeps alicui ex causa Jus quæsitum auferre possit, non puto hic esse probandum, cum aliàs id factis constet, videatur tamen *Petrus Anton. de Petra de Jure quæsito per Princip. non tolle. Cap. 28. Berojus Vol. 1. Conf. 76. n. 116. seq. & Vol. 2. Conf. 177. n. 7. 9. & 17.* Quia sic Princeps præsumitur uti plenitudine potestatis ut actus valeat. *Menoch. Resp. 2. in caus. Finariens. n. 38. & Resp. 3. n. 12. & Vol. 1. Conf. 2. n. 38.* Et licet ratio Civilis videatur repugnare attamè Principis autoritas hoc casu semper videtur exempta. *Reinking de Regim. sec. & Eccles. l. 1. Clas. 3. c. 12. n. 55.*

7 Deinde etiam sciendum quod istud Jus aggratiandi non concessum sit inferioribus Judicibus, imò nec hodiè Comites, Barones, NOBILES aliique inferiores Magistratus, licet mero imperio sint muniti, pœnam corporalem tollere
vel

vel in aliam mutare inconsulto Principe possunt. *Heig. pe. 2. qaest. 2. n. 23.*

Principes tamen & Imperii Marchiones, quia tantum potestatis habent in suis ditionibus, quantum habet Imperator in Imperio ideoque etiam rectè hanc potestatem sibi vindicant. *Bodin. l. 1. de Rep. C. 10. n. 164. & seqq.*

Sed hisce missis, quæ etiam propriè huc spectare non videntur jam nos ad rem ipsam iterum convertemus. Et notum jam satis est, quod diurnitas Carceris in aliquibus delictis mitigationem poenæ operetur. Quærimus autem An minuenda quoque poena sit ex eo quod Crimen longo tempore sit commissum? Hæc quæstio si Jus scriptum attenditur, omninò negativè decidenda, cum nulla remissio sit concedenda ex eo quod à die delicti commissi multum temporis lapsum, & ejusmodi temporis cursum facere aliquid ad sublevandam poenam non potest colligi *ex L. Si diutino 25. ff. de Pæn.* quæ lex loquitur de eo qui diu in Reatu fuit non autem simpliciter de Crimine commissio. In Reatu verò quis est post motam criminis quæstionem, & denotat Reatus Statum REI qui est in quæstione. *Budaus ad d. l. 25. Conf. Zæf. Comm. ad Lib. 48. Tit. 19. ff. n. 46.* Videri tamen potest mitigationem poenæ mereri aliquam Vita REI interim honestè acta. *Tiraquell. de Pæn. temper. caus. 29. n. 4.* Annotandum autem hic est nos loqui de illo calu ubi diurnitas temporis delicti commissi non attigerit & excesserit tempus illud, quo aliàs delicta præscribuntur. Tempus autem hujus præscriptionis est regulariter Vicennii post delictum commissum, præterlapsum. *L. 12. ad L. C. de Fals.* modò quis interea accusatus aut contra eum processus inquisitionis institutus haud fuerit. *Carpz, pe. 3. qaest. 141. Struv. Synag. J. C. Ex. 49. th. 92.*

Hæc dicta sufficiant de primo Effectu hujus Carceris ob
deli-

delictum. jam quoque paucissimis videbimus quemnam effectum sortiatum si ob debitum concessum. Et dicimus breviter, si debitor à rigidis suis Creditoribus in carcerem publicum coniectus, non prius eo liberetur, donec ultimum dodrantem solverit, vel si non habeat unde solvat, nec idoneam cautionem fidejussoriam præstare possit, tenetur Creditori opus præstare. *Alex. & Zas. in L. pro herede §. quid tamen ff. de acquir. hered. & talia statuta valere tradit Famig. Jctus Brunn. ad L. 12. C. de O. & A.* sicut etiam quilibet debitor se ad serviendum seu ad operas præstandas serviles Creditori obligare potest, hoc enim casu non fit servus quod tantum prohibet *d. L. 12. C. de O. & A.* imò invitatus ad hoc faciendum cogi potest, præterim si juramentum præstitit debitor. *Excellentiss. Brunnem. dict. loco.*

II Hic etiam illud Quæsitum à nobis erit determinandum Anne scil. Debitor ad Carcerem se obligare possit ita scil. ut si in mora solutionis extiterit ad carceres condemnatur? Dicimus nec secundum Jus Civile talem pactionem planè esse illicitam & incognitam quod probare possumus ex *L. 3. §. 5. ff. de Lib. hom. Exh.* ex hac enim lege non tenetur Edicto de libero homine exhibendo qui volentem detinet, justam etenim causam habere aliquis potest hominis liberi apud se retinendi. Et quare Jus Civile ejusmodi impediret conventionem siquidem talis Carceris mæcipatio non tollit libertatem hominis simpliciter & absolutè, sed illam tantum conditionaliter restringit, sub hac sc. conditione si non solverit, & post modum solutione vel alia satisfactione libertas illa restricta redintegratur. Non tamen hinc sequitur quod debitor ita se ad Carceres obligare possit, ut postea pro lubitu & propria autoritate à Creditore incarcerari possit, quoniã privatorum consensu non potest Jurisdictio tribui ei qui nullam habet. *L. privatorum 3. C. de Jurisd. omnium Jud. Magnif. Brunn. ad d. L. 3.*

Sed

Sed requiritur ut Judicis officium hoc casu implo-
retur & ejus ministerio Debitor capiatur & publico car-
ceri, donec satisfactum, includatur. *Bartol ad L. 71. §. 2.*
ff. de Cond. & Demonstr. n. 3. Hillig. ad Donell. pe. 2. Lib. 27.
c. 9. Lit. Z. & c. 3. Gg. Si consuetudinem jam inspicimus
invenimus nihil utilitatis esse conventionem istam Cre-
ditoris cum Debitore de ingrediendo Carcerem & non
recedendo donec satisfactum quod testatur *Carpz. pe. 2.*
Const. 21. def. 1. n. 5. Struv. Syntag. J. C. Ex. 44. th. 30. Et hanc
Consuetudinem imprimis Jus Lubecense & Saxonicum
comprobavit *Dn. Mev. ad Jus Lubec. art. 1. Tit. 13. lib. 1. n. 91*
seqq.

Et tandem si debitor operis suis debitum sustulit, **12**
liberatur. Tantum etiam Debitor, istius carceris pub-
lici tadium sustinendo de aere alieno quo Creditori ob-
strictus, minuit, quantum operis diurnis pro conditione
personae aut artificii sui singulis diebus lucrari & acquirere
posset. *Coler. de Process. Exec. pe. 1. c. 6. n. 127. Petr. Theodo-*
ricus Disp. Crim. 10. th. 2.

Primo huic Effectui addimus secundum quam inju- **13**
stus carcer operatur, qui est si Judex ex officio nullis at-
tentis circumstantiis, nullis praevius indiciis & inquisitio-
ne, indignè aliquem carceri mancipaverit vel cognita
carcerati innocentia diutius detinuerit, ex quasi maleficio
poenâ arbitraria, & læso ad damnum & interesse tenetur.
Brunn. R. Parat. Wes. de Custod. & Exhib. Reor. quest. 18.
non tamen propriè tenetur Judex actione injuriarum.
L. injuriarum actio 13. §. 2. & 6. ff. de Injur. Siquidem Ju-
dex capturam Jure potestatis exercet. *L. 33. ff. d. t.* quod
tamen ita limitatur: Nisi manifestè constet quod animo
injuriandi Judex quem carceraverit, ut si fortè aliquem
ex sua domo per capillos extrahi jusserit. *Farin. quest.*
Crim. 27. n. 137.

F

Jure

14 Jure verò Saxonico pro injusta incarceratione Judex non tantum Captivo tenetur Wergeldum præstare, quod Wergeldum constat 18. Libr. libra quælibet viginti solidis; Solidus autem octodecim nummis Misnicis: sed etiam præter hoc Wergeldum per singulos dies ad triginta solidos injustè carcerato obligatur *L. Land-Recht. art. 68.* Privatus etiam ad cujus instantiam decreta fuit captura ad horum trigintra solidorum, per singulos dies exsolutionem, & alimentorum præstationem tenetur. *Coler. de Process. Exec. pe. 2. c. 3. n. 149. & Decis. 164.*

15 Jure autem communi quilibet privatus qui aliquem injustè detineri jussit tenetur ad interesse. *Gloss. in L. 2. §. simili modo ff. Si quis caut. teneturq; actione injuriarum. L. nec magistratibus 32. ff. de Injur.* Imò statuunt Dd. quod injuriosus Creditor injustè & malè debitoris bona arreptans & detinens, in poenam hujusmodi temeritatis omne suum Jus amittat. *Fason. ad L. 2. ff. de Jurisd. omn. Jud.*

16 Judex igitur & quilibet privatus alius si hujusmodi poenam incurrere nolint, incarcerationem secundum antea dicta justè decernere & petere debent, incarcerationumque probata ipsius innocentia non diutius detinere Limitatur tamen primò Nisi ab incarnatione appelletur; tunc namq; captivus nihilominus detineri potest, donec justificetur appellatio *c. dilectus X. de Appell. Coler. Decis. 164.* Appellare autem incarceratus tantum potest si injustè carceratus, non verò si justè detentus fuerit. *Gomez. de delictis. c. 9. n. 10.*

17 Deinde etiam limitatur nisi carceratus recommendetur, nam nec tunc statim si causa ipsius cognita, & absolutus fuerit, dimittendus est. Recommendari etenim detentus ob debitum, pro delicto potest. *Bart. in L. 3. ff. de Custod. Reor. & carceratus pro debito privato recommendari potest pro debito FISCI L. Quoties C. de Exact. Tribut.*

Con-

Considerandum autem hic nobis venit An Carce- 18
ratus ob unum delictum pro alio delicto possit recom-
mendari? Nos hoc casu delicta distinguenda putamus,
anne scil. delictum pro quo erat prius incarceratus sit tale
ut impediatur talem executionem quæ fieri debet in alio pro
quo recommendatus, an verò non? priori casu non pro-
cedit recommendatio, e. gr. si primò est incarceratus ob
delictum ob quod capite plectendus, non potest deinde
pro delicto alio quod amissionem manus meretur, re-
commendari: posteriori verò modò benè fieri potest re-
commendatio, v. g. si primo quis in carceratus pro manu
& tunc recommendetur pro capite, quia hæ executiones
se compatiuntur, & primùm fit executio in manu, deinde
in capite. *Gloss. in L. Cotem C. de Dilat.* Ut verò recom- 19
mendationes hæ locum habeant omninò requiritur ut ju-
sta aliqua incarceratio primùm præcesserit, aliàs recom-
mendatio nulla est & extinguatur si ipsa captura fuerit in-
valida. *Pegver. Decis. 133. Riccius pe. 6. Collect. Decis. 2215.*

Tertio inter effectus hujus Carceris quoque nume- 20
ramus quod operetur Justum metum *L. qui Carcerem &*
L. metum §. sed licet ff. de eo quod met. causa. ipsa vincula
satis superque arguunt per metum fuisse gesta omnia tra-
dit *Menoch. l. 2. A. J. Q. c. 136. n. 3-4.* Hinc carceratus
injuste, contrahens in carcere, quoad sui liberationem te-
nent contractus non autem profunt ei cujus gratia fuerit
malè incarceratus. *Menoch. d. l. in metu* namque vis inest,
quapropter qui vi compellit, etiam si Magistratus sit, dum
id illicitè faciat, tenebitur actione quod metus causa nec
valebit promissum. *L. continet ff. quod metus caus. Zas. Pa-*
rat. ad Tit. ff. quod met. causa p. 41. num. 8. & hoc maximè
æquitari est contentaneum quia ibi ultra metum adhuc
adest dolus & calliditas pessima ejus, qui aliquem inclusit

ut quid ab eo extorqueat; ideoque in ejusmodi hominis odium merito tales contractus quoad Effectum non subsistunt legeque rescinduntur *L. 5. pr. ff. de Vi publ. Confr. Zæf. Comm. ad Lib. 4. Tit. 2. ff. n. 3. 4. & seqq.* Quod etiam adeo extenditur, ut non valeant contractus licet quis metu carceris immeriti juramento promiserit se servaturum, potest namque restitui & à Principe Juramentum relaxari.

21

Dicta autem hæc omnia tantum locum habent quando quis injustè & immeritò carcere detinetur ad hoc ut aliquid promittat, aliàs si justè quis ob quameunque causam fuerit incarceratus, quin contractus celebrati valeant nullus dubitabit, quia hoc casu non ab alio vi injusta metus præsens infertur, sed ipse culpa sua sibi attraxit, ideoque iste metus ex Jure licito proveniens, non operabitur restitutionem *L. 21. pr. ff. quod met. causa Ampliss. Dn. Doct. Brunnem. Rep. Parat. de eo quod met. causa gest. quest. 7. Struv. Syntag. Jur. Civil. Exercit. II. th. 13. & de consuetudine Carcere justè detenti non tantum ipsi contractus inire, sed etiam procuratores constituere possunt. Albert. in L. qui in carcer. ff. quod met. causa.*

22

Sed quæritur adhuc; Anne quoque eorum contractus & dispositiones subsistant, qui quidem justè in carcere detinentur, ob capitale tamen crimen, & ideo capitaliter etiam condemnandi? Resp. Olim quidem Jure Digestorum Reis ad mortem condemnatis nec contrahere, nec de bonis suis quocunque modo inter vivos disponere licebat, propter bonorum confiscationem, antiquus enim capitaliter condemnatus servus poenæ efficiebatur *L. 12. ff. de Pæn.* ejusque bona statim post condemnationem confiscabantur & publicabantur *L. 8. §. ult. ff. qui testam. fac. poss. L. 1. & tot. tit. ff. de bon. damnat.* Sed confiscatione hæc Jure novo abrogata per *Nov. 134. c. 13. Auth.*

bona

bona damnatorum C. de bon. proscript. seu damn. Const. Crim. Carol V. art. 218. & 135. & iublata jam servitute poenarum Nov. 22. c. 8. Auth. Sed hodie C. de Donat. inter Vir. & Ux. nihil impediet quominus REI etiam capitaliter damnati bona sua vendere, donare & qualicumque modo de illis disponere valeant. Modest. Pist. pe. 1. quest. 13. Ab hac tamen generali decisione tradita omnino exclusum volumus esse condemnatum & accusatum ob Crimen laesae Majestatis, cum ejus bona adhuc hodie confiscentur. d. Auth. Bon. damn. C. de bon. proscrip. seu damn. art. 218. Constit. Criminal. Car. V. idque in solo crimine laesae Majestatis obtinere & extra hoc hodie in nullo alio crimine Confiscationem locum invenire, communiter volunt cum Carpz. pract. Crimm. pe 3. quest. 135. n. 27.

Sed an hac sententia Carpzovii aliorumque qui il-²³ lum sequuntur probanda & vera, merito dubitatur: Carpzov. enim suam sententiam nititur probare ex Nov. 134. c. fin. & exinde desumpta Auth. Bona damnatorum C. de bonis prof. Verba Novellae sunt haec: *Sancimus eos qui in Criminibus accusantur, in quibus LL. mortem aut proscriptionem definiunt, si conveniantur aut condemnentur, eorum substantias, non fieri lucrum Judicibus aut eorum officiis, sed neque secundum LL. veteres Fisco eas applicari.* Ex hujus textus generalitate Carpzov. suam probat sententiam & generaliter etiam ita statuit: Mihi verissima videtur illa assertio, praeter delictum scil. laesae Majestatis nullum hodie dari casum ubi confiscatio proprie talis locum habeat. Sed hoc generale assertum vix poterit probari ex d. Novella. siquidem istius verba non ita generaliter, sed restrictive, communiter intelliguntur, ita ut per LL. veteres quarum in d. Nov. fit mentio, intelligantur tantum LL. Pandectarum & Codicis illae quae bonorum publicationem in-

multis ac variis Criminibus concedebant, non verò aliarum Novellarum Constitutiones. Et hanc verborum restrictionem probamus exinde quia verosimile non est, Imperatorem generali hâc sanctione voluisse propriis suis Novellis derogare, qualis est Novella 12. *cum Auth. Incestas. C. de Incest. & Inut. Nupt.* Insuper etiam notissimi Juris est posteriores LL. generales prioribus specialibus non semper derogare *L. 26. ff. de LL.* Et licet affirmemus d. Nov. 134. abrogare præter omnes LL. anteriores etiam ipsas Novellas; tamen reperiuntur multæ Constitutiones posteriores in quibus hæc Confiscatio dictatur. Adduco *Auth. Gazaros C. de Her. & Manich.* ubi hæreticorum bona confiscantur ut filii non possint Patri succedere. Deinde etiam habemus *Auth. Navigia C. de Furt.* ubi eorum bona confiscantur qui bona naufragorum occupant. Hæ duæ constitutiones non possunt dici abrogatæ per *Auth. Bona damnat.* cum illæ hâc longè sint posteriores. Hæc enim Justiniani est; illæ Friderici Imperatoris Secundi. *Richt. ad d. Auth. Navigia de furt. num. 31.* Hæc de Jurè Novellarum; jam paucis etiam videndum quid Jure Carolino & novissimo obtineat. Hac de re autem tractat in *Constit. Crimin. art. 218.* cujus verba hæc: **So ein Ubelthäter außserhalb des Lasters/ unserer belegenden Mestät/ oder sonst in andern fallen so der Ubelthäter Leib und Gueh nicht verwürcket/ vom Leben zum Tode gestrafft/ Weib und Kinder an den Bettel/ Stab/ und das Gueh an dem Herzen zugewiesen werden. 2^o** Patet autem ex hoc articulo dari omninò casus quosdam præter Crimen Majestatis lætæ, in quibus Confiscatio bonorum adhuc hodie obtineat, quod satis indicant verba hujus articuli: **Oder sonst in andern Fällen.** Jam possumus summatim pro decidenda hac Controversia ita concludere: Confiscatio bono-

bonorum hodie in damnatis ad ultimum supplicium, solo crimine Majestatis excepto, cessat, si cognati adsint; in aliis vero causis ubi capitale non est supplicium, si hæc confiscationis pœna expressa sit, adhuc hodiè obtinet.

Ex hisce prædictis facilè quoque possumus ad hanc ²⁴ quæstionem respondere Anne scil. quilibet capitaliter condemnatus de bonis suis testamentum quoque condere possit? De Jure veteri satis notum, quod capite damnatus testamentum facere nequeat, & quod ante condemnationem fecit postea irritum fiat *L. 6. §. 5. ff. de Injusto rupto 122. it. fact. test. L. 25. §. 3. ff. de Acquir. hered.* Et hoc ob easdem rationes ob quas Jure antiquo etiam de suis bonis disponere prohibebatur. Attamen ex consuetudine generali ob sublatam rationem prohibitionis, ubique ferè locorum contrarium observatur, & subsistunt testamenta quæ ab ejusmodi REIS ante condemnationem vel post eam quocunque modo condita sunt, *Jul. Clar. l. 3. Sentent. §. testamentum quæst. 21. n. 1. Coler. pe. 1. Decis. 34. n. 6* Hic tamen etiam excipimus Reum criminis læsæ Majestatis, & illos casus, ubi hodie Confiscatio obtinet.

Ultimò hunc casum adhuc proponemus: si capitaliter ²⁵ damnatus nullum condat testamentum, an quoque ad hæredes suos ab intestato bona sua transmittat? Hoc affirmatur siquidem nulla causa obstans hic adest, & cessante bonorum confiscatione nullum Jus succedendi Fisco competere potest, qui tunc demum admittitur si nulli hæredes legitimi existant. *L. 1. & L. vocantia C. de bon. vacant. Carpz. præct. Crim. pe. 3. quæst. 135. n. 15.*

Hinc quoque dicimus quod nec illi testamenti ²⁶ factio- nem amittant qui ad perpetuos carceres condemnati, nisi crimen propter quod pœna hæc carceris imponitur sit tale ex quo bona publicari solent. *Petr. Greg. Tholos. Synt. Jur. Univ. l. 42. c. 8. num. 12.* Non

Non minimus denique hujus Carceris effectus est quod incarceratus præsertim ob delictum se ipsum alere debeat, & suis sumtibus *L. quemadmodum §. Magistratus ff. ad L. Aquil. Boer. Decis. 303. n. 2.* modò bona ipse habeat unde se sustinere possit; Si verò illa non adsint à Curia vel publico alitur. *Afflict. Decis. 71. Albertus in L. f. C. de Ord. Cog.* Non tamen sumtus Executionis sententiæ damnatus ad mortem ferre tenetur. *Heig. p. 2. quest. 23. n. 16.* Si verò ad instantiam alicujus, e. g. Debitor ad instantiam Creditoris, quis incarceratus, tunc si pauper sit, ab eo qui fecit illum incarcerari, alimenta sunt præstanda. *Gloss. in L. f. C. de erog. mil. ann. Afflict. decis. 71. n. 76. Jason in L. si victum n. 1. 2. 3. ff. de Re. Jud. Surdus de Alimentis L. 1. quest. 71. n. 2.* quod adèd verum est, ut si fortè nec incarceratus Debitor ex suis vivere possit, nec alere cum Creditores velint qui fecerunt illum incarcerari, tunc Judex potest incarceratum relaxare & dimittere. *Ang. in §. f. Inst. de Act. Jason in d. L. si victum n. 2. ff. de R. Jud. Mindan. Consult. Saxon. l. 1. quest. 104.* Et hæc Sententia videtur communis summamque æquitatem habens, siquidem maxima injuria infertur carcerato dum alimenta ipsi denegantur. *d. L. Victum. P. G. Tholos. Syntagm. J. Univ. l. 31. c. 33 n. 23.* Deinde etiam nimis injustum foret hominem propter debitum aliquod vel aliam levem causam incarceratum, inediâ fameque interiri & necari. *Tiraqu. de pæn. mit. caus. 33. inf. Surdus de Alim. Tit. 7. quest. 16. n. 44.*

Caput

Caput Quintum.

DE
PERSONIS CIRCA HUNC
CARCEREM DELINQUEN-
TIBUS.

S U M M A R I A.

- | | | | |
|-----|--|----|---|
| 1 | <i>Quinam Effractores dicendi.</i> | | <i>di si eorum negligentia inclusi aufugerint.</i> |
| 2 | <i>Pæna Effracturæ.</i> | 12 | <i>Quæ pæna Custodum hodie usu observetur.</i> |
| 3 | <i>Quenam pæna hodiè observetur.</i> | 13 | <i>Commentariensis dolo incarceratum pro debito dimittens ad quid teneatur.</i> |
| 4 | <i>Etiam pro causa Civili incarceratus effringens incurrit pænam.</i> | 14 | <i>Custos ob effractionem carcerati non tenetur si in eo nulla culpa.</i> |
| 5 | <i>Injustè carceratus, licitè carceres effringit.</i> | 15 | <i>Nec tenetur Custos si Carceratus modo mirabili aufugerit.</i> |
| 6 | <i>E Carcere fugere licet modo id non fiat cum Carceris effractura.</i> | 16 | <i>Nec tenetur si carceratus de proximo liberandus.</i> |
| 7 | <i>Licet fugere ruptis vinculis si juste metuatur iniquus Judex.</i> | 17 | <i>Quomodo puniantur qui de effringendo Carcere conspirarunt.</i> |
| 8 | <i>Exemplum Judicis iniqui.</i> | 18 | <i>An incarceratum è Carcere liberantes eadem teneantur pænâ qua carceratus erat afficiendus.</i> |
| 9 | <i>Pæna effractoris non puni-
tur animo revertendi carce-
re fracto fugiens.</i> | 19 | <i>An Carceratus fugiens ha-
beat pro confesso. An-</i> |
| 10 | <i>Custodes Carceris olim Com-
mentarienses dicti.</i> | | |
| 11. | <i>Custodes quomodo punien-</i> | | |

G

1 **A**Ntequam huic nostræ dissertatiunculæ ultimam imponamus manum, adhuc nonnihil de personis circa hunc Carcerē delinquentibꝯ dicendum erit: circa has autē duo tantūm considerabimꝯ, primūm Carceris Effractores & deinde ejusdem Custodes. Primo itaq; loco se exhibent Effractores qui sunt Carcerem, in quo detinentur effringentes, effugendi gratia; vel etiam qui ideò carcerem effringunt ut alios eo liberent. *Brunn. R. Par. de Effract. quest. 1.*

2 Hujus autem criminis olim pœna erat gravissima, imò ultimum supplicium constitutum. *L. 13. ff. de Cust. Reor. L. 1. pr. ff. de Effract. & Expil. L. 38. §. pen. ff. de pœn. L. 13. §. pen. de Remilit.* Nec mirum hoc cuiquam videri potest, quoniam carceres SS. sunt & publicis necessitatibꝯ deputati, quos qui violat, Majestatis Crimine irretitur, sicut qui usurpat Jus Carceris privati. Et qui eripit Reos è Carceribus videtur Crimen publicum committere: quia pœnæ eos subtrahit, cum tamen inter sit Reipub. delicta puniri. *L. ita vulneratus ff. ad L. Aquil. Petr. Greg. Tholos. Synt. Jur. Univ. lib. 36. c. 25. n. 34.* Admodum tamen variant Dd. quænam pœna per Supplicium & pœnam capitalem in *L. 1. ff. de Effract.* intelligatur? Nonnulli statuunt pœnam capitalem tantūm habere locum in illo, qui Carcerem Principis violaverit. *Excellentiss. Brunnem. alleg. loco quest. 2.* Alii autem affirmant effraçto carcere evadentes capite, non quidem naturali, sed civili esse plectendos, idque probant, quoniam in *d. L. 1.* fit absolutè & simpliciter, **CAPITIS** mentio, unde in dubio intelligi debet de Civili non autem de morte naturali. *arg. L. 32. & l. pen. de pœn. L. semper d. R. J. Farin. quest. crim. 19. n. 2.* Deinde etiam Supplicium simpliciter in textu ponitur, quod si de morte intelligeretur naturali, adjecta fuisset quædam determinatio. c.g. Ultimum, gravissimum, novissimum. Denique

que nimis iniquum & absurdum foret pro levibus delictis detentos, si conspirando cum aliis carceres fregerint, poenâ graviori quàm quæ delictis ipsis præstituta, coercere, *Petrus Theodoricus Disp. Criminal. 3. th. 10. L. D.*

Quanquam autem Dd. ita de hac poena inter se dissentiant, tamen hoc satis constat quod poena illa gravissima hodiè non servetur usu, sed solent plerumque qui effracto carcere aufugerunt arbitrariè puniri. *Excellent. Brunn. d. 1. quest. 2.* & hodiè non gravior quàm fustigationis poena datur hoc casu, & læpius mitior. *Carpz. prax. Crim. pe. 3. quest. 111. n. 96. Struv. Syntag. Jur. Civil. Ex. 48. th. 106.* Imò liberum est Judici quam poenam pro ratione circumstantiarum REO effractori irrogari velit. *Menoch. l. 2. Arb. J. Q. C. 301. n. 2. Petr. Frid. Mindan. de Process. Crim. l. 1. c. 24. Sect. 4.*

Haud incommodè hic à nobis etiam quæri potest, An is tantum poenam effracturæ incurrat, qui pro causa aliqua Criminali incarceratus, Carceres effringendo aufugit: Resp. Rei è Carcere fugientes poenam merentur sive ex causa Civili sive Criminali sint inclusi. *L. pen. de Effract.* Non enim consideratur hic causa, sed tantum ratio hujus poenæ, nempe violatio loci publici.

Vidimus nunc poenam sat gravissimam hujus Criminis, meritò itaque nunc etiam à nobis est inquirendum, An nullo modo Carcere effracto fugere liceat? Nos putamus quamvis regulariter Effractura Carceris prohibita: dantur tamen Casus excepti, quorum nonnullos jam hic apponere lubet. Primus itaque casus ubi effractura carceris impunè committitur, est, quando quis injustè ac indebitè est carceratus, hic enim & vi fores effringere, carceris potest & impunè effugere. *Ripa in L. admonendi n. 171. ff. de Jurejur. Gloss. in Clement. pastoralis in verb. per*

violentiam. & ibi Dd. de Sentent. & Re Jud. Excell. Brunn. Rep. Parat. de Custodia Reor. quest. 13. Hoc enim magis fraudem & damnum injuriosum avertere est, quàm Crimen committere. Id quod non dolo, sed prudentiæ adscribitur. Tiraqu. de retract. lign. in prefat. n. 69. Bertaz. Consil. Crim. 35. n. 33. Petrus Theod. Diss. Crim. 3. th. 16. L. D. Imò potest iste etiam in foro conscientiae è Carceribus auferre, et si inde Custodi detrimentum aliquod contingat, & si mortem aliter talis injustè carceratus evadere non posset, tutè custodes interficere poterit. Menoch. L. 2. A. J. Q. cas. 301. n. 14. Boer. quest. 215. n. 32.

6 Deinde dicimus quod indistinctè Incluso fugere licitum sit è Carcere, modò fuga ista non fiat cum Effractione Carceris vel vinculorum, concessum namque fugere REO ex carcere quem invenit apertum. Ratio autem hujus nostræ assertiõnis videtur consistere in Juris Naturæ permissione, quod semper requirit, ut quilibet vitam suam conservare intendat. Quid? quod, non idè REUS in carcerem conjicitur ut spontè & suâ voluntate, ibi permaneat, sed Judex diligenter attendere debet ut custodes captum benè custodiant. Hinc quoque notum, quod si carceratus ob custodum negligentiam aufugiat, non afficiatur pœna ordinaria, sed illa tunc mitigetur. *L. 1. pr. ff. de Cust. Reor. Struv. Ex. 48. Syntag. Jur. Civil. th. 106.* At dicat aliquis, tamen Commentarienses hac ratione ob fugam istam REI damnum aliquod incurrunt? Sed respondemus, damnum illud quod ita Custodes isti sentiunt, non imputandum fugienti, sed potius socordiae eorum, qui ita culpa propria sibi damnum attraxerunt. *Zæf. Comm. ad. Lib. 48. Tit. ff. n. 21. 22.*

7 Tertiò licitum est effracto Carcere ruptisque vinculis fugere, Si incarceratus justè meruat iniquum Judicem,

cem, qui iniquam Sententiam contra REUM sit laturus, tunc enim et si custodes Carceris interficiat quò aufugere valeat, à poenâ immunis erit, in tali namque evidenti mortis periculo ejusmodi est constitutus, quod aliter effugere nequit. *L. 26. ff. de Captiv. & postlim. revers.* Putamus tamen hoc casu valdè requiri ut notoriè prius constet de injustitia Carceris, scil. quod Judex Ordinem Juris debitum non servaverit, tali enim Judici de facto procedenti ceu cuilibet privato etiam de facto resisti potest. *Conf. Petr. Theod. Disp. Crim. 4. th. II. post. L. D.* Deinde etiam arbitramur dicta procedere eo casu si non concedatur potestas superiorem Judicem adeundi qui sententiam iniquam ab inferiori Judice latam impugnet.

Et tales iniquos imperitosque Judices hodiè quàm multos reperimus, qui sine aliqua prævia informatione, sine ullis indicibus & præsumtionibus, statim ad capturam procedunt, factâ capturâ mox quoque torqueri curant, quò fit, ut multi sæpe innocentes condemnentur & ultimo supplicio afficiantur, cujus rei tragicum exemplum quondam in loco superioris Germaniæ Tubingæ contigit, quod ita se habet: Cùm duo Adollescentes mechanicam artem exercentes peregrè proficiscerentur, redit unus brevi domum, cum alterius vestitu invicem permutato. Parentes & cognati absentis statim ex vestimentorum mutatione FILIUM, à redeunte interfectum colligentes, illum apud ejus loci Judicem homicidii accusant. Judex statim accusatum absque ulteriori inquisitione in carcerem conjicit. Et, cum factum seu delictum accusatus constanter negaret, torturæ subicitur, In tortura, ob nimium cruciatum confitetur se dictum Adollescentem socium suum interfecisse, vestimenta abstulisse, & bona Socio erepta in hospicio consumsisse.

G. 3

Hinc

Hinc tandem hic condemnatus, rotæ imponitur ubi animam suam innocens & pius efflavit. Sed quid accidit? effluxis postea paucis diebus, Socius itineris qui occisus dicebatur, salvus & incolumis reversus, qui acriter hujus innocentis mortem deploravit. Hic deplorandus casus eo in loco ubi contigit lippis & tonsoribus: ut proverbialiter loquar: notus est, siquidem etiam in hujus iniquissimæ condemnationis signum Tubingæ in templo effigies hominis rotæ impositi saxo incisa est, quæ adhuc ibi conspici potest. Si itaque quis per talem iniquum & imperitum Judicem falsi cujusdam delicti accusatus in carceretur; Ecquis effractionem & ruptionem vinculo- rum prohiberet? Ecquis ad fugam non instigaret, quo vitam innocentem sibi salvam retinere posset?

9 Denique dicimus nec illum pœna Effractoris puniendum esse, qui animo revertendi carcere fracto aufugit, potissimum si causa quædam adsit, puta Judicis sævitia, ob quam cogitur ad Superiorem confugere & mitigationem sævitiae vel aliorum cruciatuum implorare. Hic si revertatur non Effractor dicendus, nec fugitivus, cum aufugisse non dicatur animum revertendi habens. *L. 17. §. 1. 2. 3. ff. de Ædil. Edict. Bald. in L. 1. C. de Serv. fug. Boer. quest. 215. n. 17.* Etiam animus delinquendi in hoc deest. *Zæf. Comm. ad Lib. 47. Tit. 3 ff. n. 18.* Non tamen hoc casu fugiens ab omni prorsus pœna est immunis, sed alia aliqua levior pro tali Carceris exitu dictanda. *L. 13. ff. de cust. & Exh. Reor. ut etiam ejus audacia comprimatur. Menoch. l. 2. A. J. Q. Cas. 301. n. 12. & 13.*

10 Hæc de primo membro sufficiant, jam progredimur ad Secundum quod agit de Custodibus Carceris. Constat autem quod hi Custodes olim Commentarienses vocati fuerint, ab eo quod in Commentariis Custodias referrent

ferrent & veluti Diarium custodiarum conficerent. *Menoch. l. 2. A. J. Qu. cas. 302. Zæf. Comm. ad Lib. 48. Tit. 3. ff. num. 9.*

Et hi carceris præpositi summam diligentiam in custodiendis Carceratis adhibere debebant, aliàs, si fraude
11
vel negligentia eorum inclusi aufugerent, graviter puniebantur *L. 12. l. f. ff. de Cust. & Exh. Reor.* plectebantur etiam illâ poenâ, quâ puniendus fugiens erat. *L. 4. C. de Custod. Reor.* Imò poterat Lege Juliâ Majestatis accusari qui confessum in Judicio REUM ex Carceribus dimiserat *L. 4. ff. ad L. Jul. Majest.* quod tamen tantùm de Judicio Principis intelligit. *Excellentiss. Dn. D. Brunnem. in Rep. Parat. de Cust. & Exh. Reor. quest. 12.* Quæ poena etiam adeò extendebatur ut locum habeat non solum in Custode si ipse custodiverat, sed etiam si sui loco alterum constituerat. e.g. Servum, filium vel Uxorem, horum enim negligentia si carceratus aufugerat, nihilominus ipse præpositus Carceris poenam incurrebat. *Menoch. l. 2. A. J. Q. Cas. 302. n. 5.*

Ast poena antiquitus illo casu constituta hodiè per
12
Constit. Crim. Car. V. art. 180. nonnihil immutata videtur, & distinguitur ibi; An incarceratus dolo & fraude Custodis elabatur, si scil. pecunia corruptus fuerit: an verò culpa & negligentia Custodis tantùm: priori casu Commentariensis illa poena punitur, quæ REO si non aufugisset, dictata fuisset: posteriori autem, poena ratione circumstantiarum est arbitraria. Sed à poena priori hoc casu dictata iterum moribus nostris recessum est, nec solet gravior quàm fustigationis poena infligi; Et intelligunt *Dd. dict. articulum 108.* tantùm de eo casu quo violentiâ quadam adhibita Custos carceratum Carceri eximit, quod etiam ipsum Vocabulum *Aushilffe* in *d. art.* satis
con-

confirmat. *Carpz. prax. Crim. pe. 3. quest. 111. n. 99. Struv.*
Syntag. Jur. Civil. Ex. 49. th. 14.

13

Hæc ita se habent si Reus pro aliquo delicto incarceratus fraude, dolo & negligentia Custodis aufugerit. Sed jam quærimus etiam si ob debitum quoddam incarceratus dolo & negligentia Commentariensis elabatur, ad quid tunc iste teneatur? Resp. Eripiens & liberans è carceribus debitorem, tenetur ac si pro eo fidejussisset. *Baldus in L. addictis C. de Episc. & Cler. Zæf. Comm. ad lib. 48. Tit. 3. ff. n. 12. Ampliff. Dn. Doct. Brunn. in Rep. Parat. de Cust. & Exh. Reor. quest. 9. inf.* quod etiam confirmat *L. quoties 3. C. de Exact. Trib.* nec sine ratione, quia Custos ita dolo & negligentia sua damni causam præbuit. Et non attenditur, an illi incarcerati fuerint verè debitores vel non, nec datur facultas probandi incarceratos illos fuisse veros debitores. *Cæpoll. Cons. 14. col. 3. in f. Marsil. prax. Crim. §. attingam. n. 48.* Nec liberatur iste custos, sed adhuc solvere tenetur, licet debitor qui fugerat iterum accipiatur. *Menoch. l. 2. A. J. Q. c. 301. n. 23.* Limitatur tamen hoc etiam à Menochio *d. l. numero sequ. 24.* ut non procedat, sed liberetur custos si illud debitum propter quod debitor incarceratus, notoriè fallum fuerit & ita injusta incarceratio facta. Sed sententia Menochii dubia videtur propterea, quia isto casu ubi debitor iterum captus, omne interesse Creditoris cessat, modò expensæ capturæ prioris factæ ipsi restituantur. Notandum tamen, quòd talis commentariensis teneatur duntaxat pro quibus fugiens erat incarceratus, vel rursus captus carceribus commendatus, non verò omnibus Creditoribus solvere cogatur. *Petr. Greg. Thol. l. 36. Syntag. Jur. Univ. c. 25. num. 28.*

14

Non verò indistinctè & pro omni incarcerati fuga
& cf.

& effractione tenetur Carceris custos, sed dantur etiam casus Excepti, quorum tres in presentiarum tantum enumerabimus. Primum Casum, ubi Custodi REO aufugiente venia datur, dicimus esse, quando nulla eius culpa adest, ut, si forte auxilio alterius custodis qui ipsius socius erat & à Principe vel Magistratu ei associatus, hoc sane casu ille solus cum quo inclusus aufugit erit puniendus, superstiti enim nulla potest adscribi culpa, modò tamen hic superstes illam evasionem impedire non potuerit. In dubio autem & ubi non constat an evasio carcerati sine culpa istius Custodis contigerit an non, tunc certè custos ille probare tenetur se culpà carere, quia præsumitur culpam intervenisse cum Custos ratione officii sui obligatus ad custodiam præstandam. *Magnif. Bruunem. in Rep. Parat. de Cust. & Exh. Reor. quest. 10.* Nisi contrarium probetur vel præsumtio diligentia ipsius Custodis illum relevet, quo casu cessat illa præsumtio quod scil. culpa ipsius accesserit. *Farin. prax. Crim. l. 2. Tit. 4. quest. 21. Menoch. l. 2. A. J. Q. Cas. 302. n. 8. Zæf. Comm. ad L. 48. Tit. 3. n. 14.*

Deinde etiam dicimus Custodem liberari nec puniendum esse si custoditus fractis muris vel alio modo mirabili & non per ostium aufugerit, nam & hoc casu nulla culpa nullaque negligentia Custodi imputari potest. *Budeus in Annot. ad Const. Crim. art. 180. n. 1. Menoch. d. l. n. 13.*

Denique & tunc Custodem ob evasionem REI, immunem dicimus, quando Carceratus fugiens de proximo erat liberandus, hic enim cessat præjudicium Reip. quod fortè per hanc evasionem ei accidere potuisset. Nulla Sententia hic Executioni mandanda, quod aliàs maximum interesse Reipublicæ est, propter

H

15
16
autho-



authoritatem rerum judicatarum. Sed hæ rationes Legis omnes hoc in casu cessant, Ergo cessabit & ipsa Lex. *L. 23. ff. ad L. Aquil. Menoch. d. l. n. 12.*

17

Brevibus jam vidimus quid obtineat si Carceratus vel ob propriam effractionem, l. opera, fraude & dolo Commentariensis aufugerit; nunc etiam paucissimis contemplantur quomodo puniantur illi, qui vel conspirarunt de Effractione carceris vel carceratum instigarunt ut fugiat aut alium modum fugæ suggesserunt. De illis certè qui conspirarunt de effringendo carcere ut inclusum liberent, constat & manifesti Juris est, quod non sint extra poenam, nam, si non potuerint perficere, si in ipso facto fuerint intercepti, poenam incurrunt, & propter consilium fraudulentum violentiæ, castigationem merentur *L. pen. ff. de Custod. Reor.* & poena hæc maximè consistit in arbitrio Judicis, siquidem illa Legibus non expressa. *Zæf. Comm. ad Lib. 48. Tit. 3. ff. n. 18.* Imò locum habet poena, etsi sine vi aliqua aliquis vincitum hominem à mala mansione liberaverit, nec illum excusabit, si prætendens dicat se misericordia ductum hoc fecisse, intempestivè enim in hunc misericordiam suam exercuit, quæ non excusat per *L. 7. pr. ff. deposit. Tholos. l. 36. Syntag. Jur. univ. c. 35. n. 31. Zæf. d. l.*

18

Quæritur; Annon illi Effractores eadem teneantur poena quâ pro delicto puniendi erant carcerati quos carceribus liberarunt? Hoc aff. *Matth. Coler. pe. 1. Dec. 166. n. 3. Bart. in L. Sed eximendi §. 1. inf. n. 4. ff. ne quis eum qui in Jus.* Quod & de Jure Saxonico & consuetudinario observari testatur *Carpz. pe. 4. Const. 13. def. 8. n. 5.* Etiam ejusmodi Effractores qui hostili & armata vi captivos è carceribus abducunt possunt quoque ob fractam vim publicam gladio puniri, & liberum erit Judici quam poenam ejusmodi

modi delinquenti pro ratione circumstantiarum irrogare velit. *Carpzov. all. l.* Extenditur ita ut eadem poena obtineat, licet quis velit injustè ad mortem condemnatum eripere, quia datur aliud remedium Ordinarium, nempe provocatio contra Sententiam in REUM prolatam, quæ facultas cuivis conceditur *L. 29. C. de Appell. L. 176. ff. de R. J. P. G. Tholos. l. 36. Syntag. J. U. c. 25. n. 37.* Nunc etiam colligimus, quod nec illi sint impuniti, qui vel instigarunt ad Carcerem effringendum vel aliàs modum fugæ suggererunt, e. g. Si quis Carcerato præbeat instrumenta, quibus Carcer possit effringi vel vincula incidi, tunc si deprehendatur poenam meretur, quam Judex ratione facti & circumstantiarum determinabit. *Menoch. l. 2. A. J. Q. c. 301 n. 21* Notandum tamen quod hic ad poenam mitigandam multùm faciat affectus erga Carceratum, ut si Uxor industria sua vel alià quadam arte Maritum carceribus liberare velit. *Gomez. L. 3. var. Res. c. 9. inf. Zæf. all. l. n. 27, inf.*

Coronidis loco hoc thema resolvemus, An Carceratus effracto Carcere vel alio qualicumque modo fugiens habeatur pro Confesso? Hoc negamus quoniam Effractura Carceris non est aliquod infallibile commissi delicti signum. *Magnif. Dn. Brunn. Rep. Parat. Matth. Wes. de Custod. Reor. quest. 7. Becc. Conf. 44. n. 21. Menoch. l. 2. A. J. Q. c. 301. 3.*

Pedem

Pedem nunc figo, & hæc pro ingenii imbecillitate de hac materia dixisse, in præsentiarum sufficiat. Tu Candide Lector primitias has, quas Themidi in Cathedra offero, boni consule, condona, si quando ex lapsu vel iudicii, vel iuventutis, dormitavi. Contestor me tibi momenti & meliora docenti libenter obtemperaturum nec adversaturum. Tibi verò SUMME DEUS immortales ago gratias pro felici conaminis hujus successu, & sit

TIBI LAUS IN ÆTERNUM AMEN!


*Nocturnâ voluisse manu voluisse diurnâ
Astræ Leges magna cupido fuit.
Nunc partam claro doctrinam prodere scripto
Gestis, enodans tortæ Cavilla plicis.
Gratulor his ausis. Pergas! Sic clara manebunt.
Præmia Te, Doctos queis beat Alma Themis!*


Per Eximio Dn. Respondenti Disputationis
Autori, Amico & Commensali suo singulariter dilecto

f.

PHILIPPUS BUCHIUS,
Philos. Nat. Prof. Ordin.







Kc 2994

ULB Halle 3
004 527 763




f

sb,

VO 17

MC







4

Quod DEUS Ter Opt. Max. Felix Faustumque
esse Jubeat!

SENSU & AUTORITATE
MAGN. JCTOR. ORDIN. IN HAC ALMA VIADRINA,
SUB PRÆSIDIO
VIRI NOBILISS. CONSULTISS. & EXCELLENTISS.

Dn. SAMUELIS STRYKII, J. U. D.

Professoris Novellar. Publici
EXERCITIUM JURIDICUM

De
**CARCERE AD
CUSTODIAM,**

Publico placidoq; Eruditorum Examine excutiendum
submittit.

GODOFREDUS FELO, Svetens. Marchic.

IN AUDITORIO JCTORUM.

Ad diem XIV. Martii Anno M. DC. LXVII.



Francof ad Od.

Typis Friderici Eichorni.

